Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Christoph Franck  Johann Clausen von Clausenheim

# Christophori Franckii ... Specimen Controversiarum, Quae Ecclesiae Lutheranae cum Remonstrantibus intercedunt : Ubi de iis, quae ad Locum de S. Scriptura pertinent, cum contra Remonstrantes in genere, tum nominatim contra Sim. Episcopium, Hug. Grotium, Steph. Curcellaeum, aliosque disputatur ... Tribus Disputationibus ventilatum

Kiloni: Reumannus, 1673

**http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522933**

Druck  Freier Zugang  PUBLIC DOMAIN

52 b. 6.

82.

313

Fa-1092 (82.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522933/phys_0002
DFG

PET
S. Theol.
Primar
Disp
The
Perpetuo Reforma
fundat
M. BARTH
CHRISTU
Ex
Bibliotheca
Academica
Rostochiensi
Ramdohr Joach
A

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522933/phys_0004
DFG

CHRISTOPHORI FRANCKII,
S. Theol. D. ejusque Extraord. Metaph.
& Log. Ord. Prof.

# SPECIMEN CONTROVERSIARUM,

Quæ ECCLESIÆ LUTHERANÆ cum REMONSTRANTIBUS intercedunt,
Ubi de iis, quæ ad Locum de S. SCRIPTURA pertinent, cum contra Remonstrantes in genere, tum nominatim contra SIM. EPISCOPIUM, HUG. GROTIUM, STEPH. CURCELLÆUM, aliosque disputatur,
Eorum sententiæ confutantur, Nostræque oppositæ stabiliuntur,
Tribus Disputationibus ventilatum,
Respondente
JOHANNE CLAUSEN,
Kilonienſi.

KILONI,
Literis JOACH. REUMANNI, Acad. Typogr.

ANNO clɔ lɔc LXXIII.

SUMME REVERENDO, PERILLUSTRI ATQUE EXCELLENTISSIMO DOMINO,

# DN. JOHANNI ADOLPHO KIELMANNO à KIELMANSECK,

Satrupholmii, Opdorfii & Cronshagæ Domino, Collegii Canonicorum apud Hamburgenſes Præpoſito, Sereniſſimi Cimbrorum Ducis Regnantis Conſiliario Primario, Aulæque Cancellario, Regiminis ac Cameræ Præſidi, in Trittou, Reinbeck & Morkirchen Præfecto,

Domino ac Mæcenati ſuo ſummè Colendo,

PERPETUAM FELICITATEM.

*NOn pecco, EXCELLENTISSIME DOMINE, qui ſtudiorum, quorum nunc mihi in patria Academia ſextus annus ducitur, ſpecimen, exteras aditurus Academias, primum extare vo-*

volui meæ erga TE obſervantiæ monumentum. Quis enim adeò ignavi inter nos animi eſt, quem Tuorum in univerſam Patriam meritorum magnitudo, in virtutum Tuarum venerationem non perducat? Quis in hoc Muſarum ſacrario, quæ Tuis conſiliis ſpiritum hîc ducunt, ad TE non reſpicit, communem earum Patronum ac Statorem? Quæ non ſunt Tua in parentem meum, adeoque omnem noſtram familiam beneficia? Ut niſi publica me cauſa invitaret, ſocordiſſimus; niſi domeſtica impelleret, omnium haberi ingratiſſimus poſſim. Quo in ſtudio officioque, ut deſiderare multa quis poſſit, ac mihi ipsi diſpliceam: nam ſi cum Nominis Tui ſplendore, ac meritorum magnitudine conferatur, exiguum, quod tibi offero, mu-

*munus est, ac ne quidem meum: pretium tamen, quod ab se non habet, ab argumenti dignitate apud TE spero inventurum. Nam cum divinarum humanarumque rerum studia æquo complectaris affectu: tum etiam insignis Tua in his controversiis peritia est: quam ut habitis aliquando TECUM colloquiis dissertationum harum Autor ac Præses demiratus est; ita sæpius erga me alios que summopere deprædicavit. Quo animatus, non displicituros TIBI nostros in Controversiis istis discutiendis conatus judicavi, quos Illustri Tuo Nomini consecratos volui: ut, quemadmodum ejus ab auspiciis nunc illis procedunt auspicia: ita felicia illis à favore Tuo succedant incrementa. VIVE EXCELLENTISSIME DOMINE, Serenis-*



*simi*

*simi Principis, Patriæ, omniumque bonorum bono, totque inter immortalia. Tua merita imple annos, quot mea omniumque vota TIBI appendunt. Dab. KilonI a.d. XV. Mart. Ann. cIↃ IↃc. LXXIII.*

Summè Reverendi, Perillustris atque Excellentissimi Nominis Tui

*Cultor deditissimus*

JOHANNES CLAUSEN.

# PRÆFATIO AD LECTOREM.

*Disceptandis hisce Controversiis occupatus, id inprimis negotii mihi datum existimavi, ut sententias Remonstrantium dexterè proponerem, ne vel industria, vel fides in me desiderari à quoquam posset: quibus nominibus passim, sæpe etiam non injuria Remonstrantes conqueruntur de aliis. Ne itaque eadem mihi dica posset impingi, verba eorum diligenter perlegi, expendi, collatisque antecedentibus & consequentibus sensus ubique fideliter expressi: idque non sine labore & molestia. Est enim non rarò, ubi vi argumentorum ac calore disputationis abrepti, secum ipsis colliduntur, & pugnantibus inter se hypothesibus omnia involvunt ac turbant, ut, antequam eas detexeris, haud facile sit invenire, quo loco pedem figas. Non autem nudè proposui Remonstrantium sententias, sed omnibus nervis suis atque argumentis eas instruxi, & rationes rationibus infregi ac repuli. Neque sine delectu eorum adhibui scripta, sed præcipuam publicorum rationem habui; & ex privatis auctoribus non nisi antesignanos & facilè principes in arenam produxi. Quibus accensitum H. Grotium, non miraberis, revocatis in memoriam scriptis ejus*

*publicis, quibus causam egit Remonstrantium, lectisque binis ejus ad Episcopium Epistolis, quæ extant in Opere Epistolarum Ecclesiasticarum & Theologicarum Amstelodami Anno 1660. edito, pag. 632. 692; epistola item ad Gerard. Ioann. Vossium pag. 760. dicti Operis, & epistola dedicatoria Arnoldi Pœlenburgii ad Guil. Grotium, quam præfixit dissertationi suæ de non colenda Remonstrantibus communione cum Contra-Remonstrantibus pag. 12. 13. edit. Amstel. Anno 1658.*

*Sed venio ad id, cujus gratia Te potissimum appellare volebam, Benevole Lector. Nosti Apologiam pro Confessione Remonstrantium, Responsionem ad Specimen Calumniarum, Vedelium Rhapsodum, Verum Theologum Remonstrantem, diversis editionibus exiisse, quæ paginarum inter se discrepant numeris. Cùm verò & Parti secundæ Voluminis secundi Operum Episcopii sint inserta, hæcque in plurium sine dubio versentur manibus; optimum videbatur, in citandis istorum scriptorum locis sequi numerum paginarum Operum Episcopii. Id quod semel in limine monendum duxi, ne toties repetita molesta dictorum Operum citatione opus esset. Vale.*

I. N. J.

I. N. J.

# CAPUT I.

## Unde certò nobis constet, doctrinam libris S. Scripturæ N. Testamenti comprehensam, divinam esse?

## SECTIO I.

*Communis Remonstrarium sententia è publicis eorundem Scriptis proponitur, & examinatur.*

I.

QUandoquidem doctrinæ & sensibus librorum Canonicorum S. Scripturæ V. & N. T. eò nomine indubitatum præbemus assensum, quòd divinos esse, ipsumque adeo Deum dicere, quicquid S. Scriptura dicit, persuasi sumus; haud immeritò quæritur, unde certò nobis constare possit, verum esse id, quod supponitur, scilicet doctrinam illam sensusque divinos esse, quodque S. Scriptura dicit, id ipsum Deum dicere?

II. Remonstrantes in suâ Confessione cap. 1. in doctrinam Novi Testamenti (quòd V. T. doctrina satis inde confirmari possit) potissimùm intenti, scienter omissâ speciali ac supernaturali cum Verbo concurrente, & de divinitate ejus attestante Gratiâ, recipiunt sese ad varias rationes probabiles, quas signa credibilitatis vocant Scholastici, petitas à Scriptorum Approbatorum vè divinitate, (quam aliàs ab ipsorummet de se testantium veracitate, factisque

ab iisdem miraculis probare solent, *Vid. Sim. Episcopii Institutiones Oper. Tom. I. pag. 233. & H. Grotius de Veritate Rel. Christ. lib. III. n. 4. seqq.* hîc nominasse contenti, nisi quòd eos num. 5. appellent Viros omni exceptione majores, quorum apud omnes fideles infallibilis autoritas & fides indubitata erat) à miraculorum multitudine, ipsius primi Autoris gloriosâ è mortuis suscitatione & exaltatione, præceptorum perfectione & sanctitate, promissorum excellentiâ, doctrinæque admirabili ac planè stupendâ propagatione. Ita enim loquuntur num. 7. *Doctrinam libris N. T. comprehensam (quâ & doctrinæ V. T. veritas ac divinitas abunde stabilitur atque asseritur) planè veram ac divinam esse, non tantùm inde liquet, quòd à divinis illis viris, quos supra nominavimus, scripta est vel approbata, & Ecclesiis tradita; quòdque variis & innumeris miraculis, omnemque humanam & angelicam sapientiam ac potentiam excedentibus operibus, signis ac prodigiis, quin & ipsius primi Autoris, D. N. Jesu Christi, gloriosâ e mortuis suscitatione, & irrefragabilibus testimoniis ac documentis adsertâ exaltatione, confirmata est ac stabilita; sed ex eo vel imprimis, quòd præcepta talia continet, quibus perfectiora, equiora & sanctiora excogitari nequeunt; & promissa tanta, quibus excellentiora Deoque magis digna nec humana, nec angelica mens concipere potest. Quibus non leve momentum addit doctrinæ ipsius admirabilis efficacia, quòd videlicet ea, licet carni inimica atque ingrata, per admodum paucos Apostolos, eosque simplices, infirmos, à fingendi non modò crimine, sed & suspicione alienissimos; nullo eloquentiæ mundanæ præsidio instructos, nullo auctoritatis humanæ titulo claros; sine vi, sine armis, solâ rationum persuasione & Spiritus demonstratione, merâ item innocentiâ vitaque sanctitate & patientiâ armatos, brevissimo tempore, ubique locorum,*

*eorum, (obstante licet toto regno satanico & universo ferè mundo) mirabiliter disseminata est* —— Eadem ferè, sed contractiùs & breviùs repetunt in suo Catechismo (quem Epitomen Cõfessionis vocat Episcopius in de Antwort op de Proeve van Abrahamus Heydanus, ad quæst. XXVI. pag. 123. edit. Rotterdam. Ann. 1644.) Resp. ad Quæst. III. Quæstio hæc est: Wat weet ghy dat die Boecken van Godt zijn? Ad quam respondent: Niet alleen hier uyt, dat die zijn beschreven door Heylige Mannen, die door den Geest Godes ghedreven zijn gheweest, ende waer teghen niet en valt te seggen; maer ock ende voornamentlijck, dat de Leere daer in vervatet, so heyligh ende volkomen, oock door so vele crachtige Wonderteyckenen ende bedeylinghen des H. Geestes bevestight is, dat se niet anders en kan dan uyt Godt zijn.

III. Verùm enim verò quamvis id genus rationes partim ad commendandam S. Scripturæ lectionem, partim ad probabiliter persuadendam divinam doctrinæ illius autoritatem, suo quæque modô, plùs minùs, faciant; conjunctæ verò pondus ac momentum maximum afferant: atque in id contra negantes istam rectè & utilissimè adhibeantur: nihilominus tamen, si ultra sit progrediendum, insufficientes eas esse ex duplici Capite deprehendimus.

IV. Et (1.) quidem ex eo, quòd non sint simpliciter certæ, vel tales, quibus absolutè loquendo non possit subesse falsum; quòdque adeo non possint movere ad assensum simpliciter certum & penitùs infallibilem, divinitati do-

doctrinæ sensuumque S. Scripturæ præbendum. Quod in genere & conjunctim de omnibus ita ostenditur: Si, uti ex lumine naturæ absolutè certa est propositio, *Quicquid Deus dicit, verum est;* ita è rationibus supra adductis, quæ pariter citra supernaturalem illuminationem internam possunt à nobis cognosci, æquè certò constaret altera illa, *Quicquid Scriptura S. dicit, Deus dicit:* jam emergens inde conclusio, *E. Quicquid Scriptura S. dicit, verum est*, itidem absolutè esset certa ex rationibus citra lumen aliquod supernaturale cognitis. Si autem absolutè certum esset ex rationibus citra lumen aliquod supernaturale cognitis, *Quicquid Scriptura S. dicit, verum esse;* huicque addatur, *omnia creditu ad salutem necessaria posse citra supernaturalem illuminationem certò ex Scripturis intelligi:* Consequeretur inde, hominem posse omnibus creditu necessariis tanquam veris adsentiri, assensu absolutè certô & penitùs infallibili, propter revelationem S. Scripturis comprehensam, solo naturali lumine adjutum, nullâ quantumvis ad eam accedente speciali gratiâ & illuminatione internâ. Nam si fiat argumentum: *Quicquid S. Scriptura dicit, verum est: Atqui Jesum esse Christum, Ipsius morte partam nobis esse gratiam Dei & remissionem peccatorum, & quicquid præterea est dogmatum fidei Christianæ, S. Scriptura dicit: E. Jesum esse Christum, Ipsius morte partam nobis esse gratiam Dei & remissionem peccatorum, & quicquid præterea est dogmatum fidei Christianæ, verum est;* Major nititur rationibus absolutè certis, citra lumen aliquod supranaturale cognitis, ut supponitur. Minoris item certitudo ex S. Scripturâ, solâ naturalis luminis ope, citra specialem & supernaturalem illuminationem hauriri potest; quòd sensus omnes cognitu ad salutem necessarii ver-

verbis & orationibus perspicuis sint propositi. *Vide Apologiam cap. I. pag. 126. 127.* Si verò Majoris & Minoris assensus certus atque infallibilis citra specialem gratiam haberi possit, par omnino fuerit ratio Conclusionis; quippe ad cujus assensum præmissæ naturaliter movent. Atque sic certa & infallibilis credendorum omnium fides seu assensus, citra specialem ac supernaturalem gratiam possit obtingere. Quod dogma uti pridem damnatum est in Pelagianis, ita nec Remonstrantibus probatur, quantum apparet ex Actis & Scriptis Synodalibus Dordracenis, Declaratione sententiæ eorum circa artic. III. & IV. pag. 16. & 22. edit. Hardervv. Ann. 1620. item Defensione sententiæ eorum circa art. IV. pag. 60. & Apologiâ pag. 126. Confer. Episcop. Responsione ad defensionem Cameronis Tom. I. Oper. part. II. pag. 282. fin. & 283. Quamobrem si revera & ex animo Pelagianum istud dogma improbant, negare nobiscum coguntur, posse ex rationibus §. 2. ex num. 7. Cap. I. Confess. adductis, assensum absolutè certum & penitùs infallibilem de divinâ doctrinæ sensuumque Scripturæ autoritate concipi: quòd hôc affirmatô illud necessariò consequitur, ceu hactenus demonstratum est. Hôc verò concessô, id porrò per pronam consequentiam inde elicitur, non acquiescendum esse istis rationibus, sed circumspiciendam aliam, quæ divinitati Doctrinæ sensuumque Scripturæ conciliet assensum verè divinum, h. e. absolutè certum ac penitus infallibilem. Nam nisi priùs absolutâ certitudine constet, doctrinam Scripturæ divinam esse, quodque hæc dicit, Deum ipsum dicere; jam nullum dogma propter autoritatem ejus creditum absolutâ certitudine, adeoque nec fide divina, (quippe quæ, docentibus ipsis Remon-

strantibus in Vedel. Rhapſ. pag. 337. & alibi, absolutam infallibilitatem seu certitudinem includit) credi potest. Quod ita manifestò ostenditur: Cujusque dogmatis, ob Scripturæ autoritatem credendi, fides seu assensus immediatè nititur duobus principiis, tanquam ratione assentiendi adæquatâ: quorum alterum, Scripturæ dicentis veritatem concernens, Majoris; alterum, Scripturæ dicentis ad dogma credendum applicationem continens, Minoris locum occupat, & tale pariunt argumentum: *Quicquid S. Scriptura dicit, verum est: Atqui v. g. Christi morte partam nobis esse gratiam Dei & remissionem peccatorum, dicit S. Scriptura: E. Christi morte partam nobis esse gratiam Dei & remissionem peccatorum, verum est.* Non potest autem hæc Conclusio mihi infallibiliter esse certa, nisi eâdem ratione sim certus præmissarum. Nec verò absolutè certus esse possum de Majore, nisi æquè certus sim de binis istis propositionibus: *Quicquid Deus dicit, verum est*, & *Quicquid S. Scriptura dicit, Deus dicit*; quippe quæ simul sumptæ continent adæquatam rationem assentiendi illi propositioni, *Quicquid S. Scriptura dicit, verum est*, quæ tanquam Conclusio ex istis præmissis infertur. Atque sic jam patet quod erat probandum, scilicet nisi absolutâ certitudine constet, *Quicquid S. Scriptura dicit, id ipsum Deum dicere*, nullius dogmatis, ob Scripturæ autoritatem credendi, assensum absolutè certum esse expectandum. Quapropter, cùm ad obtinendum dogmatum fidei, propter auctoritatem Scripturæ credendorum, certum ac infallibilem assensum, par hujus principii, *Quicquid S. Scriptura dicit, Deus dicit*, assensus requiratur; hic verò ex rationibus §. 2. commemoratis gigni nequeat, planum est, iis quidem haud licere nobis esse contentis.

V. (2.)

V. (2.) Præterquam quòd rationes istæ quoad certitudinem deficiant, insuper neque spiritualibus actibus est accensendus, qui ab istis rationibus dependet, assensus. Quod etsi simul §. præced. satis manifestò sit comprobatum, nihilominus hîc iterum & distinctè declarari, operæ pretium puto. Certum est, ab objecto formali, quod est ultima ratio assentiendi, speciem suam sumere actus intellectus, ut inde naturales vel supernaturales quoad substantiam sint & denominentur, ceu docent Scholastici: Vid. Suarez de Fide Disp. VI. sect. I. n. 6. adeoque assensum, qui ultimo resolvitur in lumen naturæ, esse actum naturalem; quemadmodum assensu, qui ultimo resolvitur in lumen supernaturale, est actus supernaturalis. Cum igitur dictæ rationes citra lumen aliquod supernaturale cognoscantur, patet utique, pendentem inde assensum hujus propositionis, *O. id, quod S. Scriptura dicit, Deus dicit*, ultimo resolvi in lumen naturæ, atque hoc ipso non excedere actuum naturalium naturam & conditionem; Cumque præterea alteri quoque principio, *Q. Deus dicit, verum est*, ex lumine naturæ assentiamur; fieri non potest quin etiam assensus emergentis inde conclusionis, *Quicquid Scriptura S. dicit verum est*, in actuum naturalium numero sit collocandus. Si autem citra lumen aliquod supernaturale constet, *Quicquid Scriptura S. dicit, verum esse*, tum &, quod paulo ante ex Apol. Rem. assertum, de dogmatibus creditu ad salutẽ necessariis citra supernaturalem illuminationem subsumi possit, *quod tali dogmate continetur, id Scripturam dicere:* quidni omnis actus fidei seu assensus, quo alicui dogmati propter auctoritatem Scripturæ, isto modô, tanquam vero adsentior, naturalis fuerit actus, qui virtute luminis naturæ citra specia-

cialem gratiam ſupernaturalem elici queat ab eo, qui non imparatus ab interpretandi præſidiis ad lectionem Scripturæ acceſſerit; hoc ipſo, quòd iſtiusmodi aſſenſus eſt aſſenſus concluſionis, ortus ex aſſenſu utriusque præmiſſarum, citra ſupernaturalem illuminationem cognitarum, quarumque ipſarummet aſſenſus ſunt actus naturales. At verò aſſenſum veræ, de quâ hîc agitur, fidei non eſſe actum naturalem, ſed ſupernaturalem, ad quem eliciendum ſpeciali & ſupernaturali gratiâ opus ſit, locis §. præced. ex ſcriptis Remonſtrantium citatis, apertiſſimè affirmatur.

VI. Ex dictis relinquitur probatum, ad eliciendum, qualis requiritur, h. e. abſolutè certum & ſupernaturalem fidei divinæ aſſenſum, divinitati doctrinæ ſenſuumque Scripturæ Sacræ, ſeu huic principio, *Quicquid S. Scriptura dicit, Deus dicit*, præbendum, altioris ordinis ratione, puta ſupernaturaliter movente, nec naturæ lumini ſubjacente, opus eſſe. Atque hujus quidem rationis munus, docente S. Scripturâ, obeunt ipſa doctrina ſenſusque Scripturæ ſupernaturaliter elevati, intellectum conjuncto & quaſi indito ſibi lumine de ſua divinitate ſecurum certumque reddentes, & ad aſſentiendum moventes; vel, quod perinde eſt, Deus per doctrinam ſenſusque Scripturæ & adjunctum à ſe lumen dicto modô in intellectum agens, eumque ad aſſenſum vocans: quam Dei actionem Teſtimonium ejus, vel, per appropriationem, Teſtimonium Spiritus S. appellamus. Priorem loquendi modum confirmant loca Matth. VII, 28. 29. Joann. VII, 40. 41. Iſthic enim doctrinæ Chriſti adſcribitur ſublimior & eminentior quædam virtus & efficacia, (*erat namque cum auctoritate conjuncta*, Luc. IV, 32.) non communis illi cum doctrina Scribarum,

ſed

sed propria, quâ tantum poterat in auditorum animos, ut multi eorum, de divinitate ejus per ipsam penitus convicti, publicè profiterentur, alii quidem: *Verè hic est ille Propheta*; alii verò: *hic est Christus*, Joann. VII, 40. 41. Confer Luc. XXIV, 32. Quandoquidem verò divinam hanc vim & efficaciam doctrina Christi, quatenus divina est, sibi conjunctam habuit, eandem pariter universam S. Scripturæ doctrinam, quippe itidem divinam, obtinere consentaneum est. Ad posteriorem loquendi modum respicit S. Joannes, I. ep. V, 6. scribens: *Et Spiritus* Sanctus *est is, qui testificatur Spiritum* h. e. doctrinam Spiritus, quam ministerium Spiritus proponit (quæ doctrina etiam II. ad Cor. III, 6. expresè Spiritus vocatur) *veritatem* i. e. verissimam *esse*. Testatur enim Spiritus S. de Veritate doctrinæ Evangelii, inquantum de divinitate ejus testatur, nosque certiores facit: quandoquidem propter hanc isti assentimur, credentes doctrinam Evangelii, sicut & totius Scripturæ, veram esse, quia divina sit. Rationibus, quas contra datam interpretationem affert Episcopius in annotationibus ad istum locum, sequenti sectione satisfiet. Propria verò ipsius interpretatio tanti non est, ut hîc expendi mereatur: siquidem adeo est contorta, totque figurarum nexibus implicata, ut, ne approbatores nanciscatur, vereri nihil sit opus.

VII. Atque hoc divinum Testimonium ex Pontificiis agnoscere tandem coacti sunt eorum etiam nonnulli, qui cæteroquin operosissimè istud impugnandum susceperunt. Producimus hîc par magni nominis Jesuitarum, Gregorium de Valentia, & Adamum Tannerum: quorum ille, Commentar. in Thomam Tom. III. Disp. I. q. I.

punct. IV. argumento XIIX. scribit: *Cum hactenus ejusmodi argumenta pro auctoritate Christianæ Doctrinæ fecerimus, quæ per se ipsa satis esse prudentibus debeant, ut animum inducant velle credere: tamen nescio, annon sit argumentum iis omnibus majus, quòd, qui verè Christiani sunt, ita se animo divinitus affectos esse, quod ad fidem attinet, sentiant, ut præcipuè quidem propter nullum argumentum, quod vel hactenus fecimus, vel ratione similiter excogitari possit; sed propter aliud, nescio quid, quod alio quodam modò, & longè fortiùs quàm ulla argumenta, animis nostris persuadet, (est autem id revera divinum ipsum Testimonium) ad firmiter credendum moveri se intelligant* —— Quæ postrema verba repetit, & ceu prudenter dicta commendat Tannerus, Theol. Schol. Tom. III. Disp. I. q. II. dub. III. n. 61: *Prudenter*, ait, *hâc de re scripsisse mihi videtur Gregor. de Valentia hic q. I. pag. IV. §. 3. arg. 18. experientiâ constare, credentes in animo divinitus affectos esse, ut præcipuè quidem propter nullum argumentum, quod ad fidem faciendam exteriùs proponitur; sed propter aliud quid divinum (nempe ipsum lumen divinæ veritatis ac fidei) quod alio quodam modò, & fortiùs quàm ulla argumenta, animum afficiat, ad firmiter credendum moveri se intelligant.*

VIII. Quin ipsi Remonstrantes in Actis & Scriptis Synodalibus Declaratione sententiæ suæ circa art. III. & IV. pag. 16. causam assensus, quo verbi veritas creditur, in Deum referunt. *Mentem*, inquiunt, *Deus Verbo & Spiritus sui illuminatione de voluntate suâ salutiferâ certiorem reddit, eamque* (puto legendum, atque) *ut assentiatur Verbi veritati, facit.* Facit autem Deus, ut mens nostra Verbi veritati assentiatur, inquantum, ut assentiatur Verbi divinitati, facit. Ideo enim credimus Verbum Dei verum esse, quia divi-

divinum esse credimus. Ut ita Testimonium illud Dei, quod vocamus, hoc loco non obscurè, etsi indirectè & per consequentiam, adseratur.

IX. Ast in Confessione suâ, ubi ex professo de confirmandâ S. Scripturæ divinitate agitur, ne verbo quidem ullio operationis divinæ faciunt mentionem. Cùmque à Professoribus Leydensibus in Censurâ Confessionis cap. I. sect. IV. reprehenderentur, quòd Spiritus S. testimonium omisissent, Respondent inter alia Apol. pag. 122. b: *Certum esse, Scripturam passim asserere, testimonium hoc Spiritus S. non dari nisi credentibus, & jam verâ vivâque fide in Jesum Christum praditis, & ex fide Spiritus istius divini auxilium cupientibus atque implorantibus.* De quo vid. §. nostra 6. & infra Sect. III. §. 4. ubi contrarium dedimus probatum.

X. Sed nolunt hîc tamen videri, quasi eô ipso statuerint, Spiritum S. nihil quicquam ad assensum divinitatis Scripturæ conferre: quamobrem, satis esse putantes, si Spiritus S. gratiam cum rationibus supra ex Confessione memoratis conjungi largirentur, statim subjungunt: *Neque tamen rectè quispiam hic dixerit, Remonstrantes Spiritus S. Gratiã ab argumentis istis sejungere aut secludere. Absit. Gratiam Spiritus S. eis conjũgi haud inviti concedunt, sive dicatur gratia ista argumentis istis conjungi, ut vis eorum ad persuadendum elevetur & roboretur; sive dicatur infundi menti hominis, ut ad vim eorum percipiendam fiat idonea; sive utrisq; simul dicatur conjungi; dummodo eam sic eis conjungi non statuatur, quasi fieri nullò modò possit, ut is, cui gratia ista fit, à credendo possit supersedere, &*

in-

*in infidelitate velle perseverare. Hoc enim Stoicum, Manichaicum, & Pelagianâ hæresi non multò est inferius.* Circa quæ verba duo distinctè nobis sunt considerandа: (1.) quòd concedant, Spiritus S. Gratiam conjungi argumentis seu rationibus supra §. 2. ex Confess. recitatis, vim eorum ad persuadendum elevando: (2.) quòd concedant Spiritus S. gratiam conjungi argumentis, mentem hominis, ut ad vim eorum percipiendam fiat idonea, disponendo.

XI. Quantum ad primum, Primò quidem imprudentissimè fecissent Remonstrantes, si credidissent argumenta ista à Spiritu Sancto ad persuadendum elevari, & ne verbulo hujus elevationis in Confessione sua mentionem fecissent, ubi quæ ad firmandam S. Scripturæ divinitatem faciunt, cum cura persequuntur: cùm res ipsa loquatur, plurimum omnino momenti in ista elevatione, si detur, situm esse; tantum quidem, ut id, cujus in persuadendo præcipuæ forent partes, omisisse censendi essent, eam dum omiserunt. Secundo hæc de argumentorum elevatione assertio pugnare quoq; videtur cum paulo ante dictis eâd. Col. pag. 122. Ubi de operatione gratiæ circa argumenta non aliter loquuntur, ac si argumenta ista à Spiritu S. tantùm subministrentur, ipsa verò, postquam jam subministrata sunt, suâ duntaxat vi, ut argumenta, non in virtute Spiritus Sancti, fidem concilient. Adscribemus verba: *Dicet fortè alius quis, Spiritum S. fidem hanc infundere per argumenta ista. Sed hoc ipsum nil nisi merum asylum insciti est. Nam si Spiritus Sanctus per argumenta ista infundit fidem, tum argumenta ista, etsi à Spiritu subministrentur, suâ tamen vi, ut argumenta, fidem efficiant necesse est. At hoc est, quod Remonstrantes libenter concedunt, sed à mente Censorum revera alie-*

*alienum est, qui Spiritus S. testimonium ut internum, peculiare & distinctum testimonium ab argumentis externis, & vi suâ peculiari agens, necessarium esse volunt* —— Quanquam verò, si faciamus argumenta à Spiritu S. elevari, eô modô, quô nos doctrinam sensusque Scripturæ elevari statuimus, rectè porrò adseratur, non diversam fore Spiritus S. elevantis actionem ab actione argumentorum, sed horum pariter atque illius unam eandemque numerô actionem, idem testimonium: neutiquam tamen apparet, quâ ratione tum dici queat, argumenta suâ vi ut argumenta fidem efficere, seu ad habendam fidem permovere, nec Spiritum S. vi sua peculiari, h. e. uti in seqq. explicant, distincta à vi argumentorum, quæ scil. ipsis quà talibus & ex natura sua competit, agere. Etenim si vis argumentorum (dicto modô) elevatur à Spiritu S. ad persuadendum, ut loquuntur; necessum est, argumenta non tam vi suâ, sibique, quà talibus, & ex naturâ suâ competente, sed vi Spiritus S. supernaturaliter elevantis, fidem concilient. Aliàs elevatio nihil superadderet argumentis ad promovendum effectum supra naturam & vires eorum positum, & consequenter re ipsâ nulla esset. Quemadmodum in simili casu Remonstrantes, contra elevationem sensuum verbi in ordine ad conversionem disputantes, argumentantur: Si, posita elevatione, dicatur sensus Verbi agere secundùm speciem & indolem suam, h. e. non aliter, atque sensus verbi alicujus aliàs agere solent; jam elevationem illam sensuum nihil superaddere sensibus, ac proinde nullam aptitudinem peculiarem adferre iis, ut instrumenta esse possint gratiæ regenerantis. Integer discursus, qui extat in Actis & Scriptis Synodalibus, in defens. sententiæ eorum circa art. IV.

de Gratiæ operatione pag. 61. ita habet: *Si dicat quis, elevari ipsos sensus per specialem quandam Dei efficaciam & influentiam, ut instrumenti loco serviant in regenerando homine, ille non satisfacit. Elevatio enim illa aut faciet, ut sensus verbi aliter quàm secundùm speciem suam, i. e. aliter quàm sensa verbi alicujus agere solent, ad operandum concurrant, sive in animum hominis operentur; aut ut agant secundùm speciem & indolem suam. Si prius asseratur, jam sensus verbi, quà tales, instrumentum non erunt, quô gratia utetur; sed id, ad quod elevati sunt sensus, per actionem illam specialem suâ immediatâ vi aget & operabitur. Si posterius dicatur, jam elevatio illa sensuum nihil superaddet sensibus, ac proinde nullam idoneitatem seu aptitudinem specialem adferet iis, ut instrumenta esse possint gratiæ regenerantis*— Quæ sane argumentandi ratio satis probat, supernaturalem argumentorum elevationem nullam agnoscere Remonstrantes: quandoquidem contra elevationem argumentorum non minùs valet, quàm contra elevationem sensuum; (par enim utrobiq; est ratio) illamque pariter atque hanc prosternere apta esset, nisi priori membro vacillaret. Taceo, pene omnes illas rationes, quas Episcopius sententiæ nostræ de verbi elevatione, seu testantis per illud Spiritus S. operatione, opponit, quæque infra sect. III. examinabuntur, etiam contra elevationem argumentorum militare.

XII. Quantum ad alterum attinet, neque in eo rem seriò egisse videntur Remonstrantes. Non enim aliis usi sunt rationibus, quam quæ citra specialem gratiam internam, mentium humanarum illuminatricem, cognoscūtur. Excutiamus singulas, & res erit manifesta. Et (1.) quidem divinitatem Scriptorum probare aliàs solent ab eorum de

semet

semet ipsis testantium veracitate, factisque ab iisdem miraculis. Vid. Episcop. Institut. pag. 233. *Quod ad alterum attinet &c.* De Miraculis mox dicetur ad rationem secundam, ubi de miraculis in genere. Veracitatem autem Scriptorum confirmant inde, quòd Viri fuerint vitæ ne ab adversariis quidem culpatæ, & quibus nihil objicitur præter simplicitatem, cujus ingenium à fingendo mendacio longissimè absit; quòd ipsius, quam conscribebant, doctrinæ religione prohiberentur adseverare ea, quæ nescirent vera, aut quæ sciverint falsa esse; quòd, si falsa scripsissent, incommoda & pericula omnia non tantùm expectanda ipsis fuissent, sed & certò sibi eventura ignorare non potuerint, quandoquidem eô tempore, quô ista facta esse, quæ scribebant, palam adserebant, nullo negotio falsi convinci potuissent, & mendacii manifesti postulari, quod apud Romanos capitale erat. Vid. Episcop. l. c. pag. 229. 230. Grotium de Ver. R. C. lib. III. num. 5. seqq. ubi adhuc alias id genus rationes annectit. (2.) quando Miracula urgent, primùm opera ista, quæ inter miracula referuntur, desumunt partim ex historia Sacrâ, partim ex subnixâ certis autoribus famâ, partim etiam ex ipsorum adversariorum, Celsi, Juliani, Hebræorum confessione; eaque deinceps sic gesta, vera esse miracula, tanquam ex lumine naturæ certum supponunt. Vid. Episcop. Instit. pag. 230. init. cap. III. pag. 233. b. *Quod ad alterum attinet &c.* & pag. 426. seqq. ubi ex Medici cujusdam Romani, Pauli Zacchiæ, Quæstionibus Medico-Legalibus (ita enim legendum, pro, *Quæstionibus Mediolanensibus*; & extat locus part. IV. tit. I. q. II. quæ est de variis miraculorum generibus) quatuor adducit genera eorum, quæ supra omnes naturæ vires

posita sunt. Addatur Grotius lib. III. num. 7. (3.) gloriosam Jesu Christi è mortuis suscitationem probant ex constanti discipulorum ejus testimonio, è quibus Paulus præterea ad quingentos alios provocat. quibus uno eôdemque tempore Christus redivivus conspectus fuerit, quorum complures adhuc ipsius Pauli ætate superstites erant, ut ex iis quilibet rei veritatem scisciari posset. Vid. Grotium lib. II. num. 6. 7. Episcop. Instit. pag. 15. ubi præmittit etiam hanc rationem, quòd corpus Christi, quô vacuum sepulchrum non tantum familiares ejus discipuli, sed & hostes infensissimi deprehenderunt, non sublatum fuerit. (4.) Præceptorum sanctitate haud aliam respiciunt, quàm quæ à ratione nostrâ vi luminis naturæ dijudicari possit. Vid. Grotium lib. II. à num. 11. usque ad 17. Episcop. in de Antw. op de Prœve van A. Heydanus ad quæst. III. & IV. p. 28. (5.) Promissorum excellentiam significaturi, tanta esse dicunt, in Confessione, quibus excellentiora Deoque magis digna nec humana, nec Angelica mens concipere possit; (confer. Grot. lib. II. num. 9.) Episcopius Instit. pag. 231. b. talia, ut, licet ea ratio humana aut industria angelica fingere tum posset, tum vellet; causam tamen non haberet ut auderet iis credere, aut sibi eventura seriò imaginari. (6.) Admirabilem doctrinæ efficaciam in eo ponunt, quòd doctrina illa, licet carni inimica atque ingrata, per admodum paucos Apostolos, eosque simplices, infirmos, nullo autoritatis humanæ titulo claros, sine vi, sine armis, brevissimo tempore, ubique locorum, obstante licet toto regno Satanico & universo ferè mundo, cum tanto hominum spectatissimorum applausu disseminata

est,

est, ceu ipsa Confessio interpretatur. Conf. Episcop. Instit. pag. 231. a. Grotium lib. II. num 18. med. Atque ita patet, citra specialem gratiam internam, è S. Scriptura solo naturali humanæ rationis lumine collustrata, omnes Remonstrantium rationes seu argumenta, ut vocant, innotescere. Quomodo itaque, ad vim eorum percipiendam, demum per conjunctam argumentis istis gratiam mens nostra reddi debet idonea? Nì fortè gratiam dari velint, non ut simpliciter possimus percipere, sed ut facilius possimus: de quo hìc non est quæstio. Vel an ideo infundi putant gratiam menti hominis, ut testetur apud eam, argumentis istis vim inesse sufficientem ad evincendam & persuadendam S. Scripturæ divinitatem? Atqui, ut omittam alia, in absurdis ponunt Remonstrantes, si quis dicat Spiritum S. affuso menti lumine de argumentis testari. Ita enim pergunt pag. 122. Apologiæ post verba proximè citata: *Si dicat* Censor, *Spiritum Sanctum affundere argumentis speciale lumen, quod speciali & internâ suâ vi, distinctâ à vi argumentorum, illustrat atque afficit mentem ejus, qui argumenta audit; eòdem recidit,* (puta ad insciticæ asylum.) *Tum enim argumenta ista non subministrantur à Spiritu ut argumenta, nec operantur ut argumenta; sed concurrunt tantùm ut objectum luminis istius, quod solum menti affusum convincit mentem, & de illis ipsis argumentis non minùs, quàm de re ipsâ testatur.* Conser rationes infra ex Episcopio adducendas & refellendas sect. III. Ex his omnibus verò quid sentiendum sit de eo, quòd Remonstrantes Gratiam Spiritus S. argumentis seu rationibus istis jungi concedant, facilè cuivis est arbitrari.

## SECTIO II.

*Privatum Episcopii in Instit. Theol. de sæpe dictis Remonstrantium rationibus, earumque momentis judicium expenditur.*

I.

SÆpe dictas Remonstrantium rationes, earumque momenta in Institutionibus suis Theologicis exactius dijudicaturus Episcopius, postquam historiæ librorum N. T. veritatem inde probatum iviſſet, quòd, qui librorum istorum Scriptores communi Christianorum consensu perhibentur, tales fuerint, de quibus nemo jure suspicari possit, quin & potuerint, & voluerint scribere ea, quæ sciebant esse verissima, quorum utrumque cap. II. lib. IV. prolixè confirmavit; atque hinc porrò, quòd Religionem istam à Deo traditam esse, in libris istis adseritur, & operibus, miraculis & prodigiis, quæ alium quàm Deum auctorem habere non potuerunt, confirmatum esse narratur, intulisset, Religionem (seu doctrinam sensusque ad Religionem pertinentes) quæ libris istis continetur, & Religionis historiam veram ac divinam esse; tantum huic argumento, à veritate historiæ (sub quâ & miraculorum patrationem comprehendit) desumpto, tribuendum censet, ut inde vim omnem demõstrationis petendam omnino esse, haud dubitet asserere. Verba ejus sub med. cap. III. hæc sunt: *Ex hoc etiam colligo, argumenta omnia ista, quæ deduci solent ex ipsis librorum horum sensibus, quod ad dogmata & promissa attinet, absque eô, quòd, qui istos tradiderunt, eos sibi à Deo revelatos esse adseruerunt, divinisque operibus confirmârunt,* i. e.

*i.e. absque historiæ istius, quæ de ipsis refertur, tanquam indubitatæ præsuppositione sive solidâ adsertione, etsi momentum non leve habeant; revera tamen tanti momenti esse non posse, ut convincendis vel Atheis, vel Turcis, vel Paganis, vel Judæis per se sufficiant. Unicâ enim exceptione hâc se tueri possent contra ea, Religionem illam solam divinam videri debere, & perfectissimam omnium, quæ ab ipso Deo revelata est: Solam divinam Revelationem præponderare omnibus istis argumentis, quæ ex rationum verisimilitudine depromuntur. Quòd si insuper eorum quisquam, e.g. Judæus, ex ipsâ istâ divina Revelatione probare se posse confidat, Deum Religionem istam à se revelatam æternam esse velle; quò, obsecro, argumento adducetur, ut eam Religionem non credat esse solam veram ac divinam, nisi aliâ novâ revelatione persuadeatur de sensu divino, quò eam æternam futuram esse dixit? Quare ex hoc ipso fundamento, quòd Revelatio nova à Deo facta fuerit, & quòd historia, quâ Revelatio ista facta dicitur, vera sit, vis omnis demonstrationis petenda omnino est.* Et mox efficaciæ, quâ doctrina S. librorum pollet, per se consideratæ, imperfectionem adjungens, *Denique*, inquit, *ex hoc ipso fundamento colligo, Argumenta ista, quæ deducuntur ex doctrinæ hujus efficaciâ, i.e. religionis, quæ historiâ hâc continetur, admirabili planeque stupendâ propagatione per universum terrarum orbem —— Argumenta*, inquam, *hæc, etiamsi gravia meritò haberi debeant, talia tamen non esse, ut per se sufficiant ad conclusionem hanc inferendum: Ergo Religio sive doctrina ista vera ac divina est, eaque sola Deo grata est. Etsi enim effecta ista talia sunt, ut vix alii Religioni competere possint, quam ei, quæ divina est; tamen inter ea & divinam Religionem, tanquam causam eorum immediatam, non est necessaria connexio. Nec dici potest effecta illa extitisse ex Religione istâ, quatenus*

*nus scilicet sanctissima mandata & excellentissima promissa continet. Nihil enim certius est, quàm ea extitisse ex Religione istâ, quatenus ea nitebatur historiâ istâ, quâ eam divinam esse primitus demonstratum fuerat. Absque ea enim fuisset, Religio ista verisimiliter non tam feliciter currere statim cœpisset, & dilatari per universum orbem. Sed historiâ velut tibicine fulta, gradum sibi fecit ad tam ingentem gloriam* ——

II. Verùm (1.) Si vis omnis demonstrationis de divinitate doctrinæ librorum S. Scripturæ peti debet ex veritate historiæ, quæ in libris illis tradita est: hæc autem duplici constat testimonio, altero Scriptorum sive Auctorum, qui tales fuerunt, ut de iis suspicari nemo jure possit, quòd vel non potuerint, vel non voluerint vera scribere; altero eorum, qui ab illis ipsis Auctoribus scriptos esse libros testantur, quosque verissimè testatos itidem, nulla dubitandi causa dari potest: consequens est, fidem nostram de divinitate S. Scripturæ non esse divinam, sed purè humanam, quippe duplici duntaxat testimonio atque autoritate humanâ subnixam. Adde nec absolutè certam esse & penitus infallibilem, si rationes spectes, quibus auctoritas & veracitas divinorum auctorum superstruitur. An enim illæ pro absolutè certis & penitus infallibilibus Episcopio habitæ? Non equidem arbitror. Confer. Grotius de V. R. lib. II. §. ult. Jam verò cogitare debuisset, nullum dogma, ob revelationem in Scripturis comprehensam credendum, majori certitudine ac fide credi posse, quàm creditur Deum dicere, quicquid S. Scriptura dicit: ceu ex præcedentibus relinquitur demonstratum.

III. (2.) Argumento à veritate historiæ, in se consideratæ, petito ipse non satis fidit Episcopius, quando sub fin.

fin. cap. III. scribit: *Verùm enim verò etsi fateor argumenta ista talia non esse, ut, citra historiæ indubitatam fidem, sufficiant ad persuadendum Religionis Christianæ veritatem; talia tamen esse credo, ut multum admodum referat, ea cum argumento ex historiâ petito conjungere, adeo quidem, ut, si quis id faciat, omne punctum tulisse videri debeat. Ita enim se res habet: Si sensus isti, id est dogmata & promissa tam divina non inessent historiæ; si effecta ista non fuissent consecuta tam divinorum sensuum prædicationem; fieri potuisset, ut totius historiæ fides vacillaret, aut saltem historia in minore pretio fuisset habita, hodieque haberetur. At verò quando historiæ ipsi inesse dicuntur tam divini sensus, & eam consecuti tam præclari fructus, vix quidquam, imo fidenter adsero, nihil esse potest, quod ultra desiderare possit ingenium humanum, aut potentius, aut liquidius, ad compellendum omnes in assensum & amorem sui, quàm talis Religio, quæ tali historiâ nititur, tam divinis sensibus constat, & tam præclaros virtutis atque efficaciæ suæ fructus dedit ac peperit.* Certè si historia talis sit, ut, si per se consideretur, ejus fides vacillare, considerata autem unà cum divinis, quos complectitur, sensibus, effectisque tam divinorum sensuum prædicationem consecutis, potentissimè quemvis in adsensum & amorem sui compellere possit; jam non omnis demonstrationis vis ex historiæ veritate, sed ex hâc pariter ac divinis historiâ istâ comprehensis sensibus, eamque consecutis tam præclaris fructibus petenda omnino est: nec modò multùm admodum refert, sed prorsus necessarium est hæc argumenta cum priori conjungi.

IV. (3.) Ab eâdem adsertione suâ discedit Auctor cap. seq. IV. Postquam enim ibidem auctoritatis librorum sacrorum N. T. fundamentum constituisset res ipsas libris

illis contentas, earumque tria feciſſet genera, primum illarum, quas ratio humana aut Angelica induſtria fingere aut excogitare ſuopte Marte non valet; ſecundum iſtarum, quas licet ratio humana, aut induſtria Angelica fingere quidem poſſet, cur tamen fingere vellet, cauſa nulla appareat, imo in contrarium cauſæ ſint, cur fingere nollet; tertium rerum hujusmodi, quas licet ratio humana aut induſtria Angelica fingere tum poſſet, tum vellet, cauſam tamen non haberet ut auderet iis credere, aut eas eventuras ſibi ſeriò imaginari: inque primo genere collocaſſet exempla quædam miraculorum, ut partum virginis, morborum inveteratorum & incurabilium ſanationem inſtantaneam, & quæ ſolo verbo facta, ſuſcitationem ex morte &c; in ſecundo præcepta Religioni Chriſtianæ propria; in tertio promiſſa ejusmodi, quæ non niſi poſt mortem obventura, in cœlorum altiſſimo poſſidenda & æternum duratura, nulloque aut dolore ſolicitanda, aut morte finienda ſunt: mox, trium iſtarum rerum naturam uberiùs declaraturus, addit: *Hæ tres res ſunt præcipuæ iſtæ, quæ libris his continentur: & non ſemel, ſed ſæpius; non leviter, ſed graviter; non ludicrè, ſed ſeriò, cum inaffectatâ dictionis ſimplicitate proponuntur, inculcantur, urgentur & perurgentur. Eæ ut alium, quàm Deum auctorem habeant, fieri non poteſt*—Quæ ſi ita ſint, Si, inquam, res primi generis altioris ſint indaginis, quàm ut vel à ratione humanâ, vel ab induſtriâ Angelicâ confingi; & ſecundi quoque ac tertii generis res in nullum alium, quàm in Deum autorem referri poſſint; hæque tres res ſunt præcipuæ, quæ libris iſtis continentur: tantum abeſt, ut vis omnis demonſtrationis de divinitate doctrinæ librorum N. T. & Religionis Chriſtianæ, ad quam

quam in libris illis instruimur, ex veritate historiæ petenda omnino sit; ut & penitus sine illâ, ex natura scilicet rerum dictarum, & certior quidem ex hac, quàm ex istâ, confici queat probatio.

## SECTIO III.

### *Respondetur objectionibus, quibus sententia nostra de testimonio Spiritus Sancti impugnatur.*

I.

REstat ut satisfaciamus rationibus, quas nostræ sententiæ, de necessitate testimonii Spiritus S. ad divinitatem Scripturæ absolutâ certitudine fideque divinâ credendam, opposuit Episcopi passim in suis scriptis, in posterioribus numerum earum identidem adaugens, videlicet in Lectionibus sacris super prior. Epist. S. Joannis, Tom. II. Oper. Episc. part. I. pag. 406. b. in Institut. Theol. pag. 235. *Hinc patet ineptos esse &c.* in de Antwoort op de Prœve van A. Heydanus ad quæst. III. & IV. pag. 29. seqq.

II. *Object.* (1.) Spiritum S. esse qui testetur, nec scire, nec credere quisquam potest, nisi primùm sciat ac credat libros Scripturæ divinos esse. Nuspiam enim alibi istud, quàm in libris istis traditur, & ut ex naturâ habeatur, impossibile est. *Resp.* quando Spiritui S. hoc testandi munus tribuitur, notum est id per appropriationem, quam vocant, & ita fieri, ut interim Pater & Filius inde non excludantur. Testatur enim Spiritus S. per veracitatem suam: quæ cum tribus Personis communis, & in illis una numerô sit, utpote ex infinita scientia & bonitate profluens; non potest non simul testificatio, cujus veracitas

citas est principium, iisdem communis esse. Quamobrem cùm actio testandi sit indivisa totius Trinitatis actio, ad credendum hoc testimonium divinum necesse non est, ut Spiritum S. testari præcisè cognoscamus: sufficit, si cognoscamus Deum testari. Cognoscimus autem Deum testari, quando id experiundo intra nosmet ipsos quasi sentimus.

III. *Obj.* 2. Nuspiam in S. Scriptura internum Spiritus Sancti testimonium, ad cognoscendum librorum Scripturæ divinitatem, necessarium esse dicitur. *Resp.* Ut cognoscamus, & credamus libros Scripturæ divinos esse, ratione supernaturaliter movente opus esse, hancque rationem in operatione seu testimonio Dei, vel Spiritus S. à Scripturâ constitui, supra sect. 1. §. 6. confirmatum est.

IV. *Obj.* 3. Certum est ex libris his, Spiritum S. non dari nisi iis, qui jam credunt libros istos divinos esse, imo qui sensibus istis, qui libris illis continentur, jam adsensum adhibent, & ad eos se componere parati sunt, ut videre est Joann. VII, 38. & XIV, 17. Act. V, 32. ad Gal. III, 2. & IV, 6. Act. XV, 7. 8. In quam sententiam etiam Grotius in Annotatis ad Consultat. Cassandri ad art. V. *Benè, ait, monet Cassander, in libris N. T. semper Spiritum S. poni post fidem. Nam in loco I. Cor. 2. vers. 9. fides ponitur non pro eâ, quæ omnibus necessaria est; sed pro dono quodam mirifico. Neque tamen hoc impedit, quò minùs fides sit donum Dei, eam in nobis operantis. Sed solet Scriptura Trinitatis opera ita dispensare, ut prima tractio tribuatur Patri, institutio ad fidem Filio, obsignatio post fidem Spiritui Sancto.* Et in Animadvers. pro suis notis ad art. V. in confirmationem citat loca Joan. VII, 39. Act. XIX, 2. *Resp.* hæc assertio non adversatur tantùm Actis & Scriptis Synod. in declar. sententiæ Remonstr. circa

art.

art. III. & IV. p. 16. Apologiæ p. 126. itemque p. 122. b. Episcopio in Resp. ad defens. Cameronis Oper. T. I. part. II. p. 282. fin. & 283. sed & manifestis Scripturæ locis, ceu duo sequentia nos edocent. II. ad Corinth. IV, 13. legimus: *Habentes autem eundem Spiritum fidei, secundum id quod scriptum est: Credidi, ideo locutus sum; & nos credimus, ideo & loquimur.* Dicitur hîc Spiritus Sanctus Spiritus fidei, non aliam ob causam, quàm quòd fidei auctor est. Deinde additur, *& nos credimus*, scilicet per ipsum, qui fidei Spiritus est, uti ex contextu liquet. Excipit Grotius in Voto pro pace Ecclesiastica ad art. V. isto loco Spiritum fidei esse eum, qui per fidem obtinetur, & qui nobis loquenda suppeditat. Hinc in Annotat. Biblicis ad verba, ἔχοντες δὲ τὸ αὐτὸ πνεῦμα τῆς πίστως, commentatur: *Habentes communem nobiscum Dei Spiritum, qui non datur nisi credentibus. Iterum hic Genitivus causam significat, id est conditionem requisitam.* (quasi causa & conditio requisita pari passu ambulent.) Et in Discussione Apologetici Rivetani p. 57. edit. Irenopol. in 8. A. 1645. genitivo causam illam efficientem significari scribit. Verùm Genitivum istum hôc loco non causam, nec conditionem requisitam, sed effectum denotare; similium locutionum collatio, (veluti cùm Spiritus S. Spiritus sapientiæ & intelligentiæ, Spiritus Consilii & potentiæ, Spiritus scientiæ & timoris Domini, Es. XI, 2. Spiritus gratiæ & precum, Zach. XII, 10. Spiritus potentiæ, dilectionis & sobrietatis II. Tim. I, 7. appellatur, quod hæc omnia à Spiritu S. tanquam effectus à causa dependeant) tùm &, uti jam diximus, verba, *Et nos credimus*, sufficienter adprobant. Alter locus est I. Pet. I, 22. *Qui animas vestras purificastis, auscultando veritati per Spiritum, ad fraternam*

*charitatem à simulatione alienam, ex purô corde alii alios diligite impensè.* Ubi expressè auscultatio Veritatis gratiæ Spiritus S. adscribitur. Excipit Grotius in Animadvers. ad notas suas in Consult. Cassandri ad art. V. 1. Voces Ἀφὲ πνεύματος referri posse ad mundationem, ut mundatio illa, quæ fidem sequitur, tribuatur Spiritui Sancto. 2. Verba illa abesse non à Latino tantùm & Syro, sed & ab antiquissimo manuscripto Græco, aliis multis præponderante, cùm sit à temporibus Synodi magnæ Nicænæ; id quod Rivetus in Apologetico ad art. V. innuit asservatum à Patricio Junio, & datum fuisse Serenissimo Magnæ Britanniæ Regi à Cyrillo, Patriarcha Constantinopolitano. Sed rectè idem Rivetus in Examine Animadvers. Grotii ad art. V. respondet, ad (1.) quidem, hoc esse verba torquere, & à suo loco dimovere; quia voces Ἀφὲ πνεύματος immediatè junguntur cum *veritatis auscultatione.* Ad 2. verba illa in Græcis exemplaribus legi summo consensu, notante Bezâ, unumque, quantumvis antiquissimum, non debere aliorum omnium consensui præferri, qui etiam apud Græcos Patres legatur. Neque contra nos faciunt loca ab Episcopio adducta. Joann. VII, 38. 39. agitur de extraordinariis Spiritus S. donis, quibus Christus post suam glorificationem demum fideles auxit, (qualia Apostolorum temporibus mirificè vigebant, vid. Act. X, 44. & XIX, 2. I. Cor. XII.) quod clarissimè docent ultima verba: *nondum enim erat Spiritus, quia JEsus nondum erat glorificatus.* Locus Joann. XIV, 16. 17. non ita est accipiendus, ac si ante Christi exaltationem discipuli ejus planè destituti fuissent Spiritu Sancto: Sicuti enim statim à resurrectione Christi acceperant donum Spiritus Sancti, quô ad obeundum ministe-

nisterium redderentur idonei, Joann. XX, 22. 23; Ita multò antè habebant donum Spiritus S. per quod facti erant fideles, unde in hoc ipso commate expresè dicitur, discipulos cognoscere Spiritum S. *quia apud ipsos maneat*: Sed intelligendus est de pleniori & abundantiori Spiritus S. dono, per Christum exaltatum à Patre impetrando. Augustinus in hunc locum, nempe Tract. LXXIV. in Johann. *Quomodo diligebant Discipuli, nisi in Spiritu Sancto? Et tamen eis prius imperatur, ut diligant eum & ejus mandata conservent, ut accipiant Spiritum Sanctum: quem nisi haberent, profecto diligere & mandata servare non possent. Restat ergo, ut intelligamus Spiritum S. habere qui diligit, & habendo mereri ut plus habeat, & plus habendo plus diligat. Jam itaq; habebant Spiritum Discipuli, quem Dominus promittebat, sine quo eum Dominum non dicebant; nec tamen eum adhuc habebant, sicut eum Dominus promittebat. Et habebant ergò, & non habebant, qui, quantum habendus fuerat, nondum habebant. Habebant itaque minus, dandus erat eis amplius: habebant occultè, accepturi fuerant manifestè; quia & hoc ad majus donum S. Spiritus pertinebat, ut eis innotesceret quod habebant — Nam & ipsam manifestam impertitionem Spiritus S. non semel, sed bis numero Dominus egit. Mox enim ut resurrexit à mortuis, insufflans ait: Accipite Spiritum Sanctum. Nunquid igitur quia tunc dedit, ideo non misit etiam postea, quem promisit? Aut non idem ipse est Spiritus S. qui & tunc est insufflatus ex ipso, & postea missus è cœlo?* In locis Act. V, 32. & XV, 7, 8. per Spiritum S. designantur dona passim comperta, & velut in medio posita; quandoquidem isthic à Spiritu S. tanquam à re nota & exploratâ testimonium petitur. Gal. III, 2. πίστις notat doctrinam Evangelii. Conf.

Act.

Act. VI, 7. Epist. Judæ vers. 3. Locum ultimum ad Gal. IV, 6. rectè in hunc sensum interpretatur Cornel. à Lapide: *Quoniam estis Filii Dei, Deus misit Spiritum suum, non qui filios vos faciat, sed qui vos filios jam factos doceat clamare, Abba Pater.* Utut enim per fidem fiamus filii Gal. III, 26. & in Christo JEsu habeamus τὴν παῤῥησίαν & accessum cum fiducia, per fidem ejus Ephes. III, 12; nihilominus tamen, secundum divitias Gratiæ Dei in Christo, datur nobis Spiritus S. ut nostra adoptio, fide obtenta, magis magisque animis nostris obsignetur, & παῤῥησία corroboretur Rom. VIII, 15. 16. II. Cor. I, 21. 22. Ephes. I, 13. 14.

V. *Object.* (4.) Dato etiam, non concesso, Spiritus S. testimonio interno ad eam rem opus esse, ad summum istud testimonium certos tantùm redderet eos, qui Spiritus isto testimonio donati essent; sed verò, ad alios eâ de re certos ac securos reddendos, nullam prorsus vim haberet. *Resp.* quid tum? dabitur & aliis, eosque convincet, ubi ad legendum & meditandum verbum Dei animum docilem Deique timentem attulerint. Ad lectionem autem illam & meditationem ut inducantur, talia suppetunt argumenta, quibus lubenter cedent omnes, queis salus sua curæ cordique est.

VI. *Object.* (5.) Sed nec sufficeret Spiritus S. testimonium ad eum ipsum, qui testimonio isto se donatum affirmaret, debitè ac legitimè certum ac securum reddendum de librorum sacrorum divinitate. Debitè, inquam, ac legitimè; quia absolutè fieri posse non negamus, ut Deus aliquem testimonio tali suo certum reddat ac securum. Nam aut volumus eum certum ac securum reddi testimonio isto, quia credere atque in animum suum inducere vult,

vult, testimonium illud esse testimonium Spiritus S. & divinum afflatum; aut quia scire ac sentire se dicit, esse testimonium S. Spiritus, & non aliud quid. Si prius volumus, tum sanè debitè ac legitimè certus non est; non magis, quàm debitè ac legitimè certus dici potest, qui contrarium credere atque in animum suum inducere vult. Si posterius volumus, tum sanè debitè etiam ac legitimè certus non est; quia scientiam ac sensum istum testificantis Spiritus sibi vendicat, antequam certus est, Deum testimonio tali, ad id persuadendum & certum nobis reddendum, uti velle. Nondum enim credit aut certò scit, verbum illud divinum esse. Scit itaque sine verbo, & sine fide verbo ulli divino, ex quo de testimonio Spiritus S. certus reddi potest, ac legitimè reddi debet, adhibitâ, testimonium hoc esse S. Spiritus testimonium: quod profectò est non debitè, nec legitimè scire, sed opinari & φαντάζεσθαι. Enim verò quæ est regula ista divina, ex qua, aut ad quam cognoscit illam suam, quam appellat, scientiam esse rectam scientiam, & divinæ voluntati conformem? sive quæ est nota illa characteristica, per quam discernit, istam suam persuasionem non esse meram opinionem, & mordicus arreptam imaginationem, sed ab ipso Spiritu S. inditam & impressam persuasionem? Conf. Arnoldi Pœlenburg Examen lib. VIII. Summæ Controvers. Hoornbeckii pag. 33. edit. Amstelod. Ann. 1655. *Resp.* Per calumniam dicimur φαντάζεσθαι. Ut autem nostræ à sententiâ fanaticorum discrepantia in clarâ luce ponatur, ipsa necessitas flagitat, ut, quid de totâ hâc controversiâ statuamus, summatim & velut in tabula exhibeamus. Dicimus itaque, regulam fidei unicam esse Verbum Dei, in Sacris & Canonicis libris Scri-

pturæ comprehensum; non verò, ut fanatici fingunt, peculiares quasdam, ac internas inspirationes seu revelationes: atque adeo cuique credendum esse, non quod quisque sibi intra animum suum dictitari credit; sed quod Deus in S. Scriptura credendum dicit, ac proponit. Ut autem eo, quo par est, modô credamus Deum per Scripturam vel in Scriptura loqui, necessum esse statuimus, idque supra fusè probavimus, ut Deus supernaturaliter id ipsum testatum faciat. Igitur Deum testari illud dicimus, non per novas revelationes seu inspirationes, sed per illud ipsum Verbum in Scripturâ comprehensum, dum scilicet Deus cum Verbo specialiter concurrit, & per Verbum, eique à se adjunctum supernaturale lumen, (quod abunde de se ipso testatur, aliàs enim procedendum in infinitum) Intellectum de divinitate Verbi certiorem reddit, & ad assensum movet: qui si sequatur, facilè à merâ opinione & mordicus arreptâ imaginatione, ex ratione assentiendi, (quæ, uti dictum, satis de se ipsa testatur) discernitur. Cumque hâc ratione de divinitate Scripturæ reddimur certiores, debitè omnino & legitimè id fieri existimandum est, quòd aliter certitudinem eâ in re obtinere non datur: quandoquidem hic agitur de ratione, propter quam non alicui dogmati revelato, sed ipsi revelationi divinâ fide & absoluta certitudine sit assentiendum. Atque sic utique satis longè ab Enthusiasmo absumus.

VII. Concludimus hoc caput verbis Arminii ex Orat. de Certitud. SS. Theol. Oper. pag. 68. edit. Lugd. Bat. Ann. 1629. *Dicimus igitur, & vel ipsis inferorum portis reclamantibus ingeminamus & iteramus, Spiritum Sanctum, cujus inspiratione locuti sunt hoc verbum sancti Dei homines, & cujus*

*impulsu & ductu, ut amanuenses illius, id ipsum literis consignarunt, esse effectorem certitudinis illius, quâ sensus istos verè divinos esse credimus; & effectorem sufficientem.*

# Caput II.
## De Scripturæ Libris Canonicis.

### Sectio I.

*Libros Canonicos Scripturæ à levissimis quibusque erroribus, & lapsibus memoriæ Scriptorum immunes esse debere ostenditur, contra Episcopium & Grotium.*

I.

Non de erroribo ad verba & dictionem, (de quibo alibi,) sed ad res ipsas pertinentibus, præsens quæstio instituta est. Talium verò notam libris Canonicis Scripturæ inurere non veretur Episcopius in Instit. Theol. pag. 232. b. his verbis: *Dices: At occurrunt sensus quidam in libris istis* (Novi Testamenti) *qui divini esse & divinam autoritatem habere non possunt, quia vel contradictionem cum aliis sensibus manifestariam involvunt; vel absurditatem palpabilem in se habent; vel ignorantiam Scriptorum, vel lapsum memoriæ eorum, vel mendacium arguunt. Resp. Sensus omnes,* (addenda vox, *graviores*, aut similis, ne sensus ad facti circumstantias pertinentes comprehendantur, qui in sequentibus excludunter) *sive ad substantiam Religionis ipsius pertineant, sive non pertineant, nullo negotio à contradictione, absurditate & mendacio vindicari possunt. Qui ignorantiam aut lapsum memoriæ Scriptorum arguunt, si tales sunt, ut versentur non circa reli-*

*gionis essentiam, i. e. circa aliquid divinâ fide credendum, nec circa facti aut rei alicujus narratæ substantiam; sed circa facti aut rei alicujus narratæ circumstantiam, quæ non habetur ex revelatione, sed ex sola humana, per sensus accepta, & per memoriam conservata notitia: quæ, uti omnia humana, diminui & perire potest, nullo veritatis principalis, quæ in substantia facti & re divinâ fide credenda est, incommodo aut detrimento. Nihil enim vetat ut concedamus, Spiritum Dei sanctum reliquisse Scriptores Sacrorum librorum humanæ conditioni & fragilitati suæ, in narrandis istis quæ ad facti circumstantiam pertinebant, ad quæ sufficiebat sensata notitia, & memoria, quanquam ea lapsui obnoxia erat. Certe ex Joannis VI, 19. liquet, Spiritum S. Joanni non suggessisse, quot stadiis remigrassent discipuli Domini; sed ei reliquisse judicium suum proprium de spacio remigrationis, quando dicitur: Cum remigrassent quasi stadia viginti quinque, aut triginta. Idem cur non concedamus aliquando factum in nomine, in auctore, in circumstantia loci aut temporis alicujus, quæ extra substantiam rei sunt, ego sanè non video.* Pariter Grotius lib. III. de V. R. C. num. 13. autoritati divinorum Scriptorum nihil quicquam per ejusmodi errores decedere existimat. Postquam enim docuisset, librorum S. Scripturæ in rebus, quæ aliquod dogmatis aut historiæ momentum in se habent, manifestissimam esse ubique consensionem, qualis nulla alibi inter ejusdem sectæ scriptores reperiatur; mox de Scriptoribus Sacris hæc addit: *At hi, de quibus loquimur, Scriptores credenda eadem inculcant, eadem dant præcepta: etiam de Christi vitâ, morte, reditu in vitam, summa ubique est eadem. Quod verò ad exiguas aliquas circumstantias, & ad rem nihil facientes attinet, facillimè fieri potuit, ut non desit commoda conciliatio, sed nos late-*

*lateat, ob res similes diversis temporibus gestas, nominum ambiguitatem, aut hujus hominis aut loci plura nomina, & si quid his simile est. Imo hoc ipsum Scriptores illos ab omni doli suspicione liberare debet; cùm soleant, qui falsa testantur, de compacto omnia ita narrare, ut ne in speciem quidem quicquam diversum appareat. Quòd si ex levi aliqua discrepantia, etiam quæ conciliari nequiret, totis libris fides decederet; jam nulli libro, præsertim historiarum, credendum esset: cum tamen & Polybio, & Halicarnassensi, & Livio, & Plutarcho, in quibus talia deprehenduntur, sua apud nos de rerum summâ constet auctoritas. Quò magis æquum est, ut nihil tale eorum fidem destruat, quos videmus ex ipsorum scriptis pietatis, & veri semper fuisse studiosissimos.*

II. Verùm absit, ut in consignandis S. literis ullum fragilitati humanæ locum concedamus. Si Spiritus Sanctus divinos Scriptores sibi, suæque memoriæ reliquisset in narrandis iis, quæ ad facti circumstantiam pertinent; jam S. Scriptura Canonica uti non simpliciter & tota, sed tantùm secundum quid θεόπνευς, ita etiam secundum quid tantùm esset authentica. Hâc autem rimâ semel admissâ, bone Deus! quanta vacillandi dabitur occasio de pluribus aliis, & ambigendi, an hoc vel illud à Spiritu S. profectum & authenticum sit, nec ne? Grotium quidem suam, de circumstantiis, dubitationem tandem ad integros libros Canonicos extendisse, eorumque Θεοπνευσίαν solicitasse, sequens sectio docebit. Tum verò nullo modo est credibile, Spiritum S. amanuensibus suis scribentibus inspirasse substantias factorum; cùm autem ad circumstantias ventum, quas tamen pariter memoriæ prodi voluit, eos quasi ex abrupto, in medio contextu & serie historiæ, dum

una atque altera vocula exararetur, destituisse, & permisisse, ut divino impulsu scribentes, narrationem divinam humanis incertarum circumstantiarum, &ἀμαρτημάτων μνημονικῶν additamentis permiscerent ac contaminarent. Ecui, quæso, hoc fiet verosimile, nisi qui absurdè sibi persuaserit, operosum nimis fuisse Spiritui Sancto, ista omnia consectari, ut parcum fuisse operæ oportuerit?

III. Hinc non absre Augustinus Epist. VIII. & XIX. ad Hieron. admisso aliquo errore totius libri certitudinem interire, tam operosè inculcat. Et lib. II. de Consensu Evangelist. cap. XII. tanquam fixum certumque præsupponit, *Omnem falsitatem ab Evangelistis abesse decere, non solùm eam quæ mentiendo promitur, sed etiam quæ obliviscendo.* Adscribi etiam hìc merentur, quæ annotat Ludovicus Vives ad Augustin. de C.D. lib. XVIII. cap. XXX. ad verba, *Et Tu, inquit, Betlehem*, &c. *Hieronymus, lib. 2. in Michæam dictum hoc Matthæi nec cum Septuaginta, nec cum Hebræis ait congruere.* (scilicet quoad verba, Nequaquam es minima.) *Cujus quæstionis exitum Vir sanctus cum non inveniret, eò dilabitur, ut aut non è libro petiisse Apostolos testimonia, sed è memoria, quæ nonnunquam fallitur; aut hunc locum sic Matthæum adduxisse ajat, quomodo est ab scribis & pontificibus Herodi responsum, ut illorum in sacris literis ostenderet negligentiam. Primum autem illam responsionem non ex sua sententia ponit, sed aliorum: & earum profectò videatur concedere, contrarium sensum esse redditum ab Apostolo: quod, ubi non refert ejus, utercunque sit, nec Porphyrius, nec Celsus credat: diversum verò, modò summa in idem propè recidat, tolerabile etiam nobis videretur. Sacerdotes verò ita respondisse, conjectura est parùm firma: non quòd fieri ab Scriptoribus, pragmaticis præcipuè, sit insue-*

*insuetum, ut imperitum quid, & ineptum, & frigidum dicant, dum ad verum conantur assumptam personam referre: Cujusmodi sunt apud Terentium & Plautum haud sanè pauca, etiam in Bucolicis Virgilii & Theocriti: Caterum priusquam hujusmodi error Evangelistæ, imo Spiritui Dei impingatur, quod religiosorum hominum aures exhorrent, valeat sanè illa conjectura, aut alia quævis imbecillior, dum major ingeniorum nostrorum imbecillitas eruere verius quicquam & certius nequit.* Leviculus hic videri queat memoriæ lapsus, & nullius momenti, cujus Hieronymus meminit, quòd nec de substantia rei narratæ & prædictæ quicquam delibet, nec incommodum aut falsum sensum pariat: cæterùm, hoc admisso, Spiritui S. errorem impingi, piè doctissimus Vives autumat.

IV. Non enim sequitur, cùm non obstantibus hujusmodi erratis Polybio, & Halicarnassensi, & Livio, & Plutarcho sua apud nos constet auctoritas, neque libris sacris ob talia fidem decessuram, quod objicit Grotius. Nam aliud profectò est, loqui de scriptis merè humanis, humanâ duntaxat operâ & curâ perscriptis; aliud, loqui de scriptis divinis ac θεοπνεύστοις, de quibus Augustinus Epist. XIX. ad Hieron. *Ego solis iis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum autorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam.* Et Arminius in Disp. privat. Thesi VI. num. 1. *Verbi divini, quod Scripturis V. & N. Testamenti comprehensum est, auctoritas est tum in veracitate totius narrationis, omniumque enunciationum, sive de rebus præteritis sint, sive de præsentibus & futuris; tum in potestate mandatorum & prohibitionum, quæ eôdem continentur.* Igitur occurrant licet in sacris aliqua difficilioris explicationis, non ilico tamen spem omnem abjicere, & in Scri-

Scripturarum accusationem converti par est: sed cùm jam complurium, quæ primâ fronte non magis componi posse videbantur, quàm quæ adhuc nos fatigant, satis manifesta adinventa sit solutio; potiùs inde colligendum est, neque in reliquis tandem commodam conciliationem defuturam, etsi ea nos hactenus lateat, ob res similes diversis temporibus gestas, nominum ambiguitatem, aut hujus hominis aut loci plura nomina, & si quid his simile est, ceu rectè ibidem disseruit Grotius.

V. Nec in contrarium est locus Joann. VI, 19. ab Episcopio adductus. Demus enim Spiritum S. Joanni non suggessisse, quot stadia remigrârint discipuli Domini; inde tamen non licet inferre, quod inferendum est Episcopio, si thesin suam isto loco probare velit, videlicet Spiritum S. adeo prorsus destituisse Joannem, ut ne quidem ei, sicubi opus, subsidio venturus, lapsumquè aversurus fuisset. Sed quid impedit, quò minùs dicamus, Spiritum S. viæ longitudinem, ubi non intererat accuratè definiri, ista mensura Joanni inspirasse, quâ is olim animo eandem conceperat: ut ita judicio & memoriæ Scriptoris historici, (qui non nisi ea, quæ ipse, & quatenus viderat, literis consignare debebat) sese accommodaret, cui alias ad stilum amanuensium suorum sese accommodare collibuit?

## SECTIO II.

*Omnes libros Canonicos Scripturæ divinos esse, divinamque auctoritatem habere, probatur contra Grotium; & simul Rivetiana quorundam ejus verborum perversio ex occasione detegitur.*

I. Sunt

I.

SUnt inter Canonicos V. & N. T. libros non pauci secundum Grotium, qui nec à Spiritu S. inspirati, nec aliunde divinam auctoritatem nacti, eô solùm nomine in Canonem sunt relati, quòd eos vel Synagoga, vel Ecclesia Christiana pio animo, & optimâ fide, & de rebus summis scriptos judicârit. Hinc in Animadversionibus pro suis notis ad Consult. Cassandri tit. de Canonicis Scripturis, *Multum autem*, inquit, *fallitur Rivetus, cùm putat omnes eos libros V. T. qui in Hebræo exstant Canone, dictatos à Spiritu Sancto. Esdræ secundùm omnes Hebræos neque Propheta fuit, neque Spiritum S. habuit. Sed libri ejus, & tota collectio librorum vetustiorum ab ipso facta, approbata est παρὰ τῆς συναγωγῆς τῆς μεγάλης, in qua erant & Prophetæ nonnulli: quanquam de libro Ecclesiastæ hæsitatum fuisse ajunt Hebræi; sed prævaluisse sententiam eorum, qui eum reciperent. Quorum sententiæ lubens subscribo. Lucas quoque scripsit verissima, sed unde ea hauserit, dixit ipse in præfatione.* In Voto pro pace tit. de Canonicis Scripturis: *Verè dixi, non omnes libros, qui sunt in Hebræo Canone, dictatos à Spiritu Sancto. Scriptos esse cum pio animi motu, non nego. Et hoc est quod judicavit Synagoga magna, cujus judicio hâc in re stant Hebræi. Sed à Spiritu S. dictari historias, nihil fuit opus. Satis fuit Scriptorem memoriâ valere circa res spectatas, aut diligentiâ in describendis veterum Commentariis. Vox quoque Spiritus S. ambigua est: nam aut significat, quomodo ego accepi, afflatum divinum, qualem habuere tum Prophetæ ordinarii, tum interdum David & Daniel; aut significat pium motum, sive facultatem impellentem ad loquendum salutaria vivendi præcepta, vel res politicas & civiles, quomodo vocem Spiritus S. interpretatur Maimonides, ubi de scriptis illis*

*aut historicis, aut moralibus agit. Si Lucas divino afflatu, dictante sua, scripsisset: inde potiùs sibi sumsisset auctoritatem, ut Prophetæ faciunt; quàm à testibus, quorum fidem est secutus. Sic in iis, quæ Paulum agentem vidit, scribendis nullo ipsi dictante afflatu opus. Quid ergo est, cur Libri sint Canonici? quia piè ac fideliter scriptos, & de rebus momenti ad salutem maximi Ecclesia primorum temporum judicavit — Locus II. Timoth. III, 16. alium sensum habet, quàm putat D. Rivetus. Non enim hoc dicit Paulus, omnis Scriptura est θεόπνευς. Quàm multæ enim sunt Scripturæ humani ingenii? Nec vult omnem eam, quæ est θεόπνευς, esse θεόπνευστον. Id enim esset nugari. Sed hoc vult, omnem Scripturam quæ à Deo inspirata est, (id est λόγον προφητικὸν, ut loquitur Petrus II, 19.) non in hoc tantùm valuisse suo tempore, ut ostenderet Dei præscientiam, & Prophetis auctoritatem daret; verùm semper esse utilem, quia simul multa continet documenta perpetua, vitiorum reprehensiones, excitamenta ad justitiam.* In Discussione Apologetici Rivetiani pag. 171: *Afflatu Dei locutos quæ locuti sunt, scripsisse quæ scribere jussi sunt, Prophetas, toto animo agnoscit Grotius. Idem judicat de Apocalypsi & Apostolorum prædictionibus. Christi dicta omnia quin Dei sint dicta, dubitari nefas. De Scriptis historicis & moralibus Hebræorum sententiis* (per quas intelligit scripta moralia, quæ sunt in Canone V. T, ut colligitur ex loco paulo ante ex Voto pro pace adducto) *aliud putat. Satis est, quod pio animo scripta sint, & optimâ fide, & de rebus summis. Quos libros tales judicavit Synagoga, ij sunt Canonici Hebræis:* (en descriptionem libri Canonici!) *Quos tales Ecclesia Christiana, ij sunt Canonici Christianis. Neque Esdræ, neque Lucas Prophetæ fuere; sed viri graves, prudentes, qui nec fallere vellent, nec falli se sinerent.* Et pag. seq. 172. & 173. de libris V. T. differens:

rens: *Illud*, inquit, *in altera ad Timotheum, Divinitus inspirata, non est pars prædicati, sed pars subjecti; ut non Syrus tantùm sentit, sed & Latinus. Quæ autem sint literæ eximiè sacræ sive divinitus inspiratæ, exposuerat Grotius ex secunda Petri; nempe sermo Propheticus, sive Prophetia Scripturæ, idque scriptis libris consignata. Petrus enim Prophetiæ idem tribuit, quod Scripturæ isti, de qua agit, tribuit Paulus, ab hominibus venire S. Spiritu inspiratis: qui titulus in V. T. proprius est Prophetarum, ita ut Chaldæus plurimis in locis, ubi in Hebræo est Spiritus, posuerit Prophetiam; ut & Græci Ezech. XIII. 3. Sic & alibi ad libros Prophetarum nos mittunt Apostoli, Act. III, 18. 21. 24. X, 43. XIII, 27. 40. XXV, 22. 27. Rom. I, 2. III, 21. I. Pet. I, 10. & Hebræi omnes plus auctoritatis dant libris Mosis & Prophetarum, quàm iis, quos Chetubim sive hagiographos vocant; qui in Synagogis prælegi populo non solent.* In Annotationibus verò ad II. epist. ad Tim. III, 16. scribit: *Scriptura autem θεόπνευς ea est, quæ scripta est aut ab iis, qui Prophetarum munia obiere, ut Mose, Elia, Jeremia, Ezechiele; aut ab iis, qui, licet in alio essent vitæ genere, à Deo tamen certis temporibus afflati fuêre, ut David & Daniel. His accessionis vice, & ad implendam aut sapientiam moralem, aut historiam, additi sunt libri nonnulli alii, probati à magna Synagoga, tanquam optimè convenientes cum illis θεοπνεύστοις. Addidit ipsis & alios postea Christianæ Ecclesiæ tum Græca, tum Latina consensus.*

II. Ex hisce locis nemini non manifestum est, eam esse Grotii sententiam, quam initio hujus sectionis ipsi tribueramus. Quæ uti totius Christianæ Ecclesiæ consensui adversatur, eoque nomine bonorum omnium indignatione atque odio digna est; ita facilè quoque vel ex concessis refellitur. Constat libros Canonicos supra Apocryphos,

phos, quos Ecclesiasticos vocant, illud habere eximium; quod, cùm hi tantùm ad ædificationem plebis, isti ad fidei & Ecclesiasticorum dogmatum auctoritatem confirmandam rectè adhibeantur, uti colligitur ex Rufini Expos. Symboli num. 36. & Hieronymi Præfat. in Proverb. quem posteriorem locum laudat & approbat Grotius in Annotat. ad Consultat. Cassandri tit. de Canon. Scriptoris. At cur, quæso, exclusis ecclesiasticis, soli Canonici ad fidei auctoritatem confirmandam adhibeantur; nisi quòd horum, nec pariter illorum, sententiæ & decisioni tanquam irrefragabili quisque stare teneatur? Cur verò huic standum, non illi; nisi quòd ea sola infallibiis, ipsiusque adeo Dei sententia ac decisio esse credatur? Oportet itaque Canonicos libros omnes tanquam divinos, & divinam auctoritatem habentes venerari. Quod diligenter & passim in Operibus suis inculcat Augustinus. De C. D. lib. XIX. cap. 18: Civitas Dei *credit Scripturis Sanctis Veteribus & novis, quas Canonicas appellamus: Unde fides ipsa concepta est, ex qua justus vivit, per quam sine dubitatione ambulamus, quàm diu peregrinamur à Domino.* Epistolâ XIX. ad Hieronymum: *Ego fateor Charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem honoremque deferre, ut nullum eorum auctorem scribendo aliquid errasse firmissimè credam. Ac si aliquid in eis offendero literis, quod videatur contrarium veritati, nihil aliud quàm vel mendosum esse codicem, vel interpretem non assecutum esse quod dictum est, vel me minimè intellexisse non ambigam. Alios autem ita lego, ut, quantalibet sanctitate doctrinaque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt: sed quia mihi vel per illos auctores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorreat, persuadere potu-*

*potuerunt.* Et, plusculis interjectis, quod ante dixerat, repetens ac confirmans, *Porro*, inquit, *si quæras vel recolas, quid hic senserit noster Ambrosius, quid noster itidem Cyprianus; invenies fortasse nec nobis defuisse, quos in eo, quod asserimus, sequeremur: quanquam, sicut paulo ante dixi, tantummodo Scripturis Canonicis hanc ingenuam debeo servitutem, quâ eas solas ita sequar, ut conscriptores earum nihil in eis omnino erravisse, nihil fallaciter posuisse, non dubitem.* Epistolâ CXII. ad Paulinam: *Si* aliquid *divinarum Scripturarum, earum scilicet quæ Canonicæ in Ecclesia nominantur, perspicua firmatur autoritate; sine ulla dubitatione credendum est. Alius vero testibus vel testimoniis, quibus aliquid credendum esse suadetur, tibi credere, vel non credere liceat, quantum ea momenti ad faciendum fidem vel non habere perpenderis.* Contra Faustum Manichæum lib. XI. cap. V: *De his libris dici potest, aliquid eos habere non consonum fortasse occultiori, & ad dignoscendum difficiliori veritati, quod aut sic remanserit, aut in posterioribus corruptum sit, qui non præcipiendi autoritate, sed proficiendi exercitatione scribuntur à nobis. Inter hos enim sumus, quibus idem Apostolus dicit: Et si quid aliter sapitis, id quoque vobis Deus revelabit. Quod genus literarum non cum credendi necessitate, sed cum judicandi libertate legendum est. Cui tamen ne intercluderetur locus, & adimeretur posteris ad quæstiones difficiles tractandas atque versandas linguæ ac styli saluberrimus labor, distincta est à posteriorum libris excellentia Canonicæ autoritatis V. & N. Testamenti: quæ Apostolorum confirmata temporibus, per successiones Episcoporum, & propagationes Ecclesiarum tanquam in sede quâdam sublimiter constituta est, cui serviat omnis fidelis & pius intellectus.* (Quæ approbans Grotius in Discuss. pag. 171. 172. scribit: Totum illud, quod dicit Augustinus, excellentiam Cano-

nicæ autoritatis, Apostolorum confirmatam temporibus, per successiones Episcoporum & propagationes Ecclesiarum tanquam in sede quadam sublimiore constitutam, cui serviat omnis fidelis & pius intellectus, verissimum est, & ut tale à Grotio agnoscitur) *Ibi si quid velut absurdum moverit, non licet dicere; Autor hujus libri non tenuit veritatem: sed aut codex mendosus est, aut interpres erravit, aut tu non intelligis. In opusculis autem posteriorum, quæ libris innumerabilibus continentur, sed nullo modò illi sacratissimæ Canonicarum Scripturarum excellentiæ coæquantur, etiam in quibuscunque eorum invenitur eadem veritas, longè tamen est impar autoritas. Itaque in eis si qua fortè propterea dissonare putantur à vero, quia non, ut dicta sunt, intelliguntur; tamen liberum ibi habet lector auditorve judicium, quò vel approbet quod placuerit, vel improbet quod offenderit: & ideo cuncta ejusmodi, nisi vel certâ ratione, vel ex illa Canonica autoritate defendantur, ut demonstretur sive omnino ita esse, sive fieri potuisse quòd vel disputatum ibi est, vel narratum, si cui displicuerit, aut credere noluerit, non reprehenditur. In illa verò Canonica eminentia sacrarum literarum, etiamsi unus Propheta seu Apostolus aut Evangelista aliquid in suis literis posuisse ipsâ canonis confirmatione declaratur, non licet dubitare quòd verum sit: aliquin nulla erit pagina, quâ humanæ imperitiæ regatur infirmitas, si librorum saluberrima autoritas aut contempta penitus aboleatur, aut interminata confundatur.* Contra Cresconium lib. II. cap. XXXI: *Nos nullam Cypriano facimus injuriam, cùm ejus quaslibet literas à Canonica divinarum Scripturarum autoritate distinguimus. Neque enim sine causa tam saluber vigilantiæ canon ecclesiasticus constitutus est, ad quem certi Prophetarum & Apostolorum libri pertineant, quos omnino judicare non audeamus, & secundùm quos de cæteris*

*ris literis vel fidelium, vel infidelium liberè judicemus.* De Baptismo contra Donatistas lib. II. cap. III: *Quis nesciat Sanctam Scripturam Canonicam tam Veteris, quàm Novi Testamenti certis suis terminis contineri, eamque omnibus posterioribus Episcoporum literis ita præponi, ut de illa omnino dubitari & disceptari non possit, utrum verum, vel utrum rectum sit, quicquid in ea scriptum esse constiterit?* —— De Unitate Ecclesiæ cap. III: *Auferantur ergo illa de medio, quæ adversus nos invicem non ex divinis Canonicis libris recitamus — Quærat fortasse aliquis, & dicat mihi: Cur ergo ista vis auferre de medio, quando communio tua, etsi adferantur, invicta est? Quia nolo humanis documentis, sed divinis oraculis sanctam Ecclesiam demonstrari.* Et notum est illud Hieronymi: *Spiritus Sancti doctrina est, quæ Canonicis literis prodita est: contra quam si quid statuant Concilia, nefas duco.* Hinc Pontificii, multò hîc congruentiùs Grotio sentientes, etiam libris suis falsò dictis Canonicis divinam auctoritatem, indeque consequentem infallibilitatem adscribunt, certi, librum aliquem non posse esse Canonicum, quin idem summâ istâ, quam diximus, prærogativâ gaudeat. Vid. Bellarminus de Verbo Dei lib. IV. cap. III. ubi dicit, *Canonicum librum esse, est esse infallibilem.* Enim verò si satis sit, ut Synagoga vel Ecclesia Christiana librum aliquem in Canonem retulerit, tantùm quòd pio animo, optima fide, & de rebus summis scriptum judicaverit; quid, quæso, causæ fuit, quòminùs Ecclesiasticum ordini isti adscripserint? quippe in quem dicta requisita quadrare, haud temerè quisquam iverit inficias, nedum Grotius, qui, libris Ecclesiasticis omnibus eximiè favens, nihil esse in his libris affirmat, quod non cum illis, quos omnes agnoscunt, benè conveniat, in annotat. ad Con-

Consultat. Cassandri tit. de Canon. Scripturis. Quinquilibet liber piè docteque de rebus summis conscriptus, etsi non sit è numero Ecclesiasticorum, in numerum Canonicorum cooptari meruisset.

III. In Loco II. ad Tim. III, 16. citra necessiratem duram adeo ellipsin statuit Grotius in Voto pro pace, quasi scilicet Apostolus vellet, omnem Scripturam, quæ à Deo inspirata est, non in hoc tantùm valuisse suo tempore, ut ostenderet Dei præscientiam, & Prophetis auctoritatem daret; verùm semper esse utilem, quia simul multa continet documenta perpetua, vitiorum reprehensiones, excitamenta ad justitiam. Nam si vox θεόπνευστος loco subjecti relinquatur, & particula καὶ per *etiam* exponatur, exclusa ista ellipsi, sensus hic fuerit non incommodus: *Omnis Scriptura à Deo inspirata* (hoc ipso) *etiam utilis est ad docendum*, &c. ut adeo nihil sit opus difficilem adeo ellipsin statuere? Sed neque ratio à Grotio allata obstat, quò minùs vocem θεόπνευστος ad prædicatum referentes, & particulam καὶ inusitatissima suâ significatione copulativâ accipientes, locum ita interpretemur: *Omnis Scriptura est divinitus inspirata & (ideo) utilis ad docendum* &c. Etenim non diu circumspiciendum est, qualis tum Scriptura intelligatur, quæ θεόπνευστος & utilis ad docendum esse dicitur. Nam Scripturam non aliam designari, quàm quæ *Sacra* modò dicta, (qui titulus erat Canonicæ Scripturæ) è contextu planum est. Confirmaturus enim, quod in fine v. 15. asseruerat, S. literas, quas Timotheo à puero noverat, posse ipsum erudire ad salutē, per fidem quæ est in Christo Jesu; subjungit v. 16: Omnis Scriptura (scil. sacra, quandoquidem hujus enunciationis subjecto respici oportet ad subjectum enūciationis præcedētis, cujus pro-

probatio affertur) est divinitus inspirata, & utilis ad docendum &c. Et verò Sacras Scripturas (quæ appellatio occurrit Rom. I, 2.) κατ' ἐξοχὴν Scripturas quoque, vel Scripturam vocatas absolutè, constatè Marc. XII, 24. Joann. VII, 42. Act. XVII, 2. 11. II. Pet. I, 20.

IV. Quod autem porrò vult Grotius in Discuss. p. 172. 173. solam Scripturam Propheticam strictè sic dictam, & prout distinguitur ab Hagiographis, divinitus inspiratam esse; næ ea nimis quàm inconsulta est assertio. Sic enim nec Psalmi Davidis, nec liber Danielis essent à Spiritu S. dictati; cùm non sint in numero scriptorum Propheticorum, strictè sic dictorum, sed hagiographorum. Atqui Davidem Petrus Act. II, 30. Danielem ipse Christus Matth. XXIV, 15. Prophetas appellant: quidnî igitur ex inspiratione divinâ eos scripsisse putemus? Idque etiam ipse Grotius agnoscit cum in annotat. Biblicis ad II. Tim. III. 16. tum in Voto pro pace tit. de Canonicis Scripturis, verbis supra citatis. Sed & hagiographis in genere Lucæ XXIV, 44. ubi sub voce Psalmorum tanquam pars quædam Scripturæ V. T. citantur, haud obscurè divina tribuitur auctoritas. *Dixitque eis* Jesus: *Hi sunt sermones, quos loquutus sum vobis, cùm essem adhuc vobiscum, quòd* nempe *oporteat impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege Mosis, & Prophetis, & Psalmis de me.* Ad verba, καὶ ψαλμοῖς, ita Grotius: *Id est* ἐν βιβλίῳ ψαλμῶν, *ut supra XX, 42. & Act. I, 20. Quò probabilius est, ex parte nobilissimâ totum illud volumen* ἁγιογράφων *designari, quod sacrarum apud Judæos literarum partem efficit tertiam.* Quomodo autem oportet impleri, quod de Domino Jesu scriptum est in hagiographis, nisi libri illi divinam habeant auctoritatem?

V. Falsum itidem est, Hebræos omnes libris Mosis & Prophetarum tantum auctoritatis dare præ iis, quos Chetubim seu Hagiographos vocant, ut illos solos ex afflatu divino scriptos arbitrentur. Contrarium apertè docet Hebræorum facilè doctissimus Rabbi Moses Majemonides in More Nevochim part. II. cap. XLV. ubi Chetubim, h. e. hagiographa, per Spiritum Sanctum scripta fusè tadit. Quandoquidem verò Majemonidem, ubi de scriptis aut historicis, aut moralibus agit, interpretari vocem Spiritus S. per pium motum, sive facultatem impellentem ad loquēdum salutaria vivendi præcepta, vel res politicas & civiles, Grotius in Voto pro pace excipit; eô ipso necessitatem nobis imponit compluscula dicti Autoris verba adjiciendi, quæ perlecta de genuina ejus mente neminem sinant dubitare. Ita igitur ille loco citato: *Secundus Prophetiæ gradus est, cùm homo in se sentit rem vel facultatem quampiam exoriri, & super se quiescere, quæ eum impellit ad loquendum, ita ut loquatur vel de scientiis & artibus, vel Psalmos & hymnos, vel utilia ac salutaria rectè vivendi præcepta, vel res politicas & civiles, vel denique divinas; & quidem inter vigilandum, & in vigore sensuum ordinario. Et hic est, de quo dicitur, quòd loquatur per Spiritum. Hâc specie Spiritus S. instinctus, Psalmos suos scripsit David; Proverbia, Ecclesiasten & Canticum Canticorum, Salomon. Hoc afflatu scripti sunt Danielis, Jobi & Chronicorum libri, & reliqua Hagiographa, unde etiam Kethubbim h. e. Hagiographa appellantur, quia Kethubbim, h. e. scripta sunt per Spiritum Sanctum. De libello Esther palam dicunt Sapientes nostri: Libellus Esther per Spiritum S. dictatus est. De ejusmodi Spiritu S. dixit David: Spiritus Domini loquutus est per me, & sermo ejus per linguam meam. Vult enim dicere, Spiritum S. impulisse*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522933/phys_0058
DFG

*puliſſe eum ad verba illa loquenda. Ex hoc cenſu fuerunt ſeptuaginta Seniores, de quibus dicitur: Fuit autem requiescente in eis Spiritu, prophetarunt, & non addiderunt. Tales fuerunt Eldad & Medad. Tales fuernnt ſacerdotes illi omnes, qui interrogabantur per Urim & Thummim, ſicut Sapientes noſtri dicunt: Majeſtas divina habitat ſuper eum, & loquitur per Spiritum Sanctum. Talis fuit Jezechiel filius Zachariæ, de quo in libro Chronicorum legimus: Fuit ſuper eum Spiritus Domini in medio cœtus, & ait: Attendite omnis Jehudah, & habitatores Jeruſalem, ſic dixit Dominus vobis, &c. Talis fuit Zacharias filius Jehojadæ ſacerdotis, de quo ita ſcriptum legimus: Spiritus autem Dei induit Zachariam filium Jehojadæ Sacerdotis, & ſtetit deſuper populum, ac dixit eis: Sic dixit Deus, &c. Talis fuit Aſarias filius Iddo, ſicut dicitur: Super Aſariam autem filium Obed fuit Spiritus Dei, qui egreſſus ante Aſa dixit, &c. Et tales fuerunt omnes ii, de quibus ſimile quid legitur. Scito etiam Bileamum eô tempore, quo pius & bonus fuit, ex hoc genere fuiſſe. Hinc enim dicitur de eo: Poſuit autem Dominus verbum in ore Biliami. Nam perinde eſt, ac ſi diceret, Illum per Spiritum Dei loquuturum. In hunc ſenſum ipſe de ſe dicit: Dixit audiens eloquia Dei.* Tandem, ubi de Davide, Salomone, & Daniele pluribus diſſeruiſſet, concludit hiſce verbis: *Ideo monui te, quòd, licet in iſta* Prophetiæ *ſpecie, quæ contigit Danieli & Salomoni, Angelum viderint, tamen non invenerint & deprehenderint in ſeſe, quòd* Prophetia *pura ſit, ſed ſomnium tantùm veritatem rerum aliquarum ipſis notam faciens. Proinde etiam pertinent ad eos, qui loquuntur per Spiritum Sanctum, ad ſecundam videlicet* Prophetiæ *ſpeciem. Hinc in ordinandis Scripturis Sanctis, nullam differentiam fecerunt inter* Proverbia, *Eccleſiaſten, Danielem, Pſalmos, Ruth & Eſtherem, quia omnes*

*isti libri per Spiritum S. scripti sunt; generaliter tamen etiam Prophetæ vocantur.* Hæc verò omnia tantùm de pio quodam motu, aut facultate ad aliquid loquendum impellente interpretari; est ad claram lucem oculos claudere, & omnia turbare ac miscere.

VI. Juvat hîc quoque adscribere, quæ de libris Canonicis tradit Josephus, Scriptor rerum Judaicarum ob antiquitatem & ἀκρίβειαν meritò insignis, in primo contra Apionem: *Infiniti*, inquit ex interpretatione Rufino-Geleniana, *libri non sunt apud nos, discordantes & sibimet repugnantes: sed solummodo duo & viginti libri, habentes temporis totius conscriptionem: quorum justè fides admittitur. Horum ergo quinque quidem sunt Moseos, qui nativitates continent, & humanæ generationis traditionem habent usque ad ejus mortem. Hoc tempus de tribus millibus annis paululum minus est. A morte verò Moseos usque ad Artaxerxem Persarum regem, qui fuit post Xerxem, prophetæ suorum temporum res gestas conscripserunt in tredecim libris.* (Intelligit juxta Hebræorū computationem libros 1. Josuæ, 2. Judicum, 3. Samuelis, 4. Regum, 5. Jesaiæ, 6. Jeremiæ, 7. Jezechielis, 8. XII. Prophetarum, 9. Danielis, 10. Jobi, 11. Esdræ una cum Nehemia, 12. Estheræ, 13. Chronicorum) *Reliqui quatuor* (nempe Psalterium, Proverbia, Ecclesiastes, Cantica) *hymnos in Deum & vitæ humanæ præcepta noscuntur continere. Ab Artaxerxe verò usque ad nostrum tempus singula quidem conscripta, non tamen priori simili fide sunt habita, eò quod non fuerit certa successio prophetarum. Palam namque est ipsis operibus, quemadmodum nos propriis literis credimus. Tanto namque seculo jam præterito neque adjicere quicquam aliquis, nec auferre, nec transformare præsumpsit. Omnibus enim insertum est mox ex prima generatione Judæis,*

*dæis, hæc divina dogmata nominare, & in his utique permanere, & propterea, si oporteat, mori libenter.* Quis non hinc quoque intelligit, Hebræos omnes libros Canonicos tanquam divinæ auctoritatis, & authenticos submississimè venerari? Idem nobis faciendum, seu de Veteris, seu de Novi Instrumenti libris Canonicis agatur. Nam *Sacra volumina Spiritus plenitudine spirant: nihilque est sive in Prophetia, sive in Lege, sive in Evangelio, sive in Apostolo, quod non à plenitudine divinæ majestatis descendat*, ut ait Origenes hom. II. in Jeremiam. Vel ut Rufinus scribit, Exposit. in Symb. Apostolicum: *Spiritus Sanctus est, qui in Vetere Testamento Legem & Prophetas, in Novo verò Evangelia & Apostolos inspiravit.*

VII. Quòd Lucas initio sui Evangelii non ad divinum afflatum, dictantem sua, provocaverit, sed ad testes, quorum fidem est secutus; nihil derogat ejus auctoritati. Etenim familiare est Auctoribus Sacris, ad res facti confirmandas, omissâ & suppositâ θεοπνευσίᾳ, tanquam aliunde nota, humano uti testimonio, proprio & alieno. Hæc methodus observata Johanni Epist. I. cap. I, 1. usque ad 6. & Petro II. Epist. I, 16. 17. 18. Act. II, 32. Confer Joann. XV, 27. Act. I, 21. Si putat Grotius, Apostolis divinum contigisse afflatum tantùm in prædictionibus suis, non item in doctrina reliquâ; (suspensa enim & ferè suspecta sunt ejus verba, quæ §. 1. ex Discuss. Apologetici Rivetiani pag. 171. adduximus, præcipuè si cum aliis conferantur: *Afflatu Dei locutos, quæ locuti sunt, scripsisse, quæ scribere jussi sunt, Prophetas, toto animo agnoscit Grotius: Idem judicat de Apocalypsi, & Apostolorum prædictionibus*) contradicit Paulo Apostolo, de se suique similibus disertè affirmanti I. Cor. II, 13. se lo-

qui (quæ Deus nobis est gratificatus, vers. 12. Supra cap. I, 23. dicebat: Nos prædicamus Christum crucifixum) *sermonibus, quos docet Spiritus Sanctus.* Et ad Gal. I, 11. 12: *Notum vobis facio, fratres, Evangelium prædicatum à me non esse secundum hominem. Neque enim ego ab homine id accepi, neque edoctus sum, sed per revelationem Jesu Christi.* Hinc quoque I. Thess. II, 13. totum sermonem prædicationis suæ ut *sermonem Dei* commendat. Conf. Joann. XIV, 26. Et cur divinum afflatum tantùm ad prædictiones, non ad cæteram doctrinam putemus necessariam: cùm tamen hæc æquè cum illis pertineat ad fundamentum illud Apostolorum, super quod superstruuntur fideles, existente extremo angulari lapide ipso Jesu Christo? Eph. II, 20. Equidem Lucas non fuit Apostolus ex illis duodecim, sed fuit tamen uti itinerum, ita & laborum Apostoli comes, teste Paulo ad Philem. vers. 24. inde vir Apostolicus dictus Tertulliano; & ejus laus in Evangelio per omnes Ecclesias, II. Cor. VIII, 18. Non immeritò enim hunc locum de Luca interpretatur Hieronymus lib. de Script. Eccles. cum multis aliis: quos & Grotius sequitur in suis annotationibus. Conf. Franciscus Gomarum in illustrat. select. locor. cap. I. & II. Evangelii Lucæ, ubi de veritate tituli commentatur.

VIII. Etsi verò, uti ex dictis constat, de S. Scriptura Canonica satis abjectè sentiat Grotius, in eo tamen, ne quid dissimulemus, magnam ipsi à Riveto factam existimamus injuriam, quòd, cùm in Discuss. pag. 178. inter alia scripsisset: *De nudis historiis quæstio huc non pertinet: neque magni momenti est, vera sint, quæ narrantur talia, an non vera;* Rivetus in διαλύσει sect. XIV. num. 7. in fin. hæc velut de historiis N. T. dicta acceperit, his in eum verbis invectus:

*Cùm*

*Cùm addit Discussor, de nudis historiis quæstionem huc non pertinere, neque magni momenti esse, vera sint quæ narrantur talia, an non vera, cùm agatur de historiis quæ in libris Novi Testamenti recitantur: judicet æquus Lector, quid de illo viro sentiendum sit, cui perinde est, an tales historiæ veræ sint vel falsæ, & si non hâc ratione evertatur Evangeliorum sacrorum αὐθεντία.* Enim verò si integer Discussionis contextus cum contextu Apologetici Rivetiani, cujus ille filum sequitur, contendatur; apparebit ad longè alium scopum ista verba collimare. Ita scilicet Rivetus num. 123. Apologetici: *Quia objiceram, ut sciamus quæ sint Apostolicæ traditiones non scriptæ, difficulter probari posse talibus testimoniis aut argumentis, quæ id de pluribus evincant; aliquot regulas repetit ab aliis antea productas, sed ex quibus nulla in his expectanda πληροφορία, necessaria tamen in dogmatibus fidei & morum. Prima est, justam esse præsumptionem, ab Apostolis tradita quæ ubique in Ecclesia reperiuntur, & quorum origo alia non apparet. Sed in talibus non sufficit præsumptio — Secunda est, si accedant testes aliquot pii, prudentes, ac magnæ in Ecclesia auctoritatis, qui affirment hoc velut ab Apostolis traditum; jam probationem habemus tantam, quanta in hac materia sufficit, nec minorem eâ, per quam Apostolica Scripta à non Apostolicis distinguimus. Hæc Regula fallax est, & quod ei annectitur, probari non potest. Examinandi primò erunt testes illi, quinam fuerint, & de eorum prudentiâ & pietate judicandum erit. Si veteres sint, qui affirment id ab Apostolis traditum, & pauci sint, & eorum scripta, ut plerumque accidit, dubia: nihil inde certi reportabimus. Si longè ab Apostolis remoti, non erunt testes idonei. Nec id tamen præjudicat testimonio de discretione librorum Apostolicorum à non Apostolicis, quia ab initio Canon fuit terminatus, ut ex Augustino probavimus,* (num.

(num. 19.) & exinde per varias orbis regiones, per omnes Ecclesias receptus, & scripto consignatus. Quod de nullis traditionibus dogmaticis dici potest. In historicis, quæ facilius possunt ad posteros transmitti, quis nescit quanta sit difficultas in eruendâ veritate? Præsertim cùm, ut nuper notavit vir doctus in discussione de duobus Dionysiis, tertio & quarto seculo nihil scriptoribus esset usitatius, quam synchronismum Apostolarum ubique affectare, quamvis de rebus agerent aliquot seculis remotis. Qui sibi Apostolicam autoritatem & cathedras tribuebant, omnia, quæ populis commendabant, solebant dicere Apostolica. Hinc traditionum Apostolicarum chiliades. Verba ex Augustino citata: Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt: nihil ad rem faciunt. Ad quæ Grotius in Discussione pag. 177. 178. Ad cognoscendas traditiones prior regula, à Grotio tradita, ex Augustino est lib. 4. de Bapt. contra Don. cap. 24. — Altera Regula erat, iis credendum, qui, cùm in communione catholicâ semper fuerint, & ab Ecclesia tam suis, quàm sequentibus temporibus præclari auctores habiti sunt, testantur hoc aut illud esse ab Apostolica traditione. Humana hæc testimonia sunt sanè, sed fide digna, & qualia illa de Canonicis Scripturis: de quibus Augustinus contra Faustum lib. XI. cap. 2. Vides in hac re quia Ecclesiæ Catholicæ valeat auctoritas, quæ ab ipsis fundatissimis sedibus Apostolorum usque ad hodiernum diem succedentium sibi Episcoporum serie, populorum consensione firmatur. Et lib. II. de Doctr. Christ. cap. 8. In Canonicis autem Scripturis Ecclesiarum Catholicarum quamplurium autoritatem sequatur; inter quas sanè illæ sunt, quæ Apostolicas sedes habere & epistolas accipere meruerunt. Tenebit igitur hunc modum in Scripturis Canonicis, ut eas, quæ ab omnibus accipiuntur Ecclesiis Catholicis, præponat

*ponat eis, quas quædam non accipiunt. In eis verò, quæ non accipiuntur ab omnibus, præponat eas, quas plures gravioresque accipiunt, eis, quas pauciores minorisvé auctoritatis Ecclesiæ tenent. Si autem alias invenerit à pluribus, alias à gravioribus haberi, quanquam hoc invenire non possit, æqualis tamen auctoritatis eas habendas puto.* (Hæc Augustinus) *Vides, non fuisse ab Apostolis institutum Canonem, neque ab initio de omnium librorum auctoritate extitisse.* Sequuntur jam verba, quæ carpit Rivetus: *De nudis historiis quæstio huc non pertinet: neque magni momenti est, vera sint quæ narrantur talia, an non vera. Et tamen in his quoque Veterum judicia sequimur. Istud Augustini: Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt: non ad verba scripta, sed ad dogmatum explicationẽ pertinere, manifestissimum est.* En quàm Grotius κατὰ πόδα Rivetum in omnibus sequatur, quàmque istis Riveti: *In historicis* traditionibus *quæ facilius possunt ad posteros transmitti, quis nescit quanta sit difficultas in eruenda veritate?* respondeant hæc Grotii: *De nudis historiis quæstio non est: neque magni momenti est, vera sint quæ narrantur talia, an non vera.* Ut adeo non de historiis Novi Testamenti, sed de historiis quæ inter traditiones extant, seu de traditionibus historicis ea par sit accipi.

IX. Similiter cùm Grotius scripsisset in Discussione pag. 171: *Afflatu Dei locutos quæ locuti sunt, scripsisse quæ scribere jussi sunt, Prophetas, toto animo agnoscit Grotius: Idem judicat de Apocalypsi & Apostolorum prædictionibus: Christi dicta omnia quin Dei sint dicta, dubitari nefas — De Scriptis historicis, & moralibus Hebræorum sententiis aliud putat:* colligit inde Rivetus in Διαλύσει num. 4 ejusd. sect. XIV. eum librorum sacrorum detraxisse veritati. *Hæc & alia*, inquit, *testimonia quæ adduxeram* de θεοπνευστία hagiographorum, *indiscussa*

*relinquit, & pertinaciter negat, Scripta historica S. Codicis & morales sententias Ebræorum tales esse, de quibus dubitari nefas sit. Loquebatur autem de libris Canonicis, ut mirum sit Papistas nonnullos, qui ex scripto Grotii illius testamentum pro Ecclesia Romana excerpserunt, non vidisse, eum contra omnium Pontificiorum sententiam auctoritati & veritati sacrorum librorum detrahere.* Atqui non statim veritatem libri negat, qui nefas esse negat dubitare, quin Dei sint dicta, quæ illo continentur.

## SECTIO III.

*Adferuntur causæ contra Episcopium, cur de auctoritate librorum, quos Canoni Hebræorum superaddunt Pontificii, acriter cum ipsis disputandum sit: & Grotii Conciliatura in ista controversia, simul ac alia ejusdem de additamentis ad Estherem & Danielem assertio expenditur.*

I.

NOn existimat Episcopius, sat graves suppetere causas vehementiùs contendèndi cum Pontificiis, an Canonici sint illi libri, quos Canoni Hebræorum volunt superadditos, nec ne? Ita enim concludit suum de libris Apocryphis discursum in Instit. Theol. pag. 227. b: *Addo tamen Coronidis loco: etsi in hac re longè superior est causa nostra, nullam tamen satis gravem causam me videre, cur acriter de numero Canonicorum librorum cum Pontificiis digladiemur; & Apocryphos, quos illi in canonem referre volunt, usque adeo aversemur, quasi fides ac Religio Christiana propterea vacillatura sit, si illi in canonem admittantur. Etsi enim non nego esse in iis quædam, quæ*

*quæ vel contradictionem, vel falsitatem, vel absurditatem quandam manifestariam præ se ferunt, & difficulter aut cum iis, quos Canonicos esse utrinque in confesso est, conciliari, aut cum historiæ veritate, aut cum rectâ ratione in gratiam reduci possint: tamen non modò nulla esse in iis credo, per quæ dogmatis alicujus ad salutem necessarii veritas labefactari possit; sed & non pauciora esse in iis mihi persuadeo, quæ convellendis Pontificiorum erroribus faciunt, quàm quæ iis aut fulciendis, aut stabiliendis servire possunt.* Verùm etsi nihil omnino istis libris contineri statuatur, quo necessaria aliqua veritas labefactetur; nihilominus tamen adhuc sat graves sunt causæ, cur enixè magnoque studio id agamus, ut veritatem adversariis in hac controversia extorqueamus. Et primò quidem videtur id ad nostram reverentiam, quam Deo divinisque rebus debemus, pertinere, ut, discrimine Canonicos inter & Apocryphos libros, h. e. divinos & humanos, servato, suo quosque loco habere non tantùm discamus ipsi, sed &, ut ab aliis ita habeantur, nec vel Canonici gradu suo & fastigio, in quo divinitus constituti sunt, deturbentur, vel Apocryphi, præsertim cùm haud dubiè multa contineant falsa, (quod de Machabæorum libro secundo ex professo peculiari Epistola probandum suscepit ipse Episcopius, cujus præcipua, eò facientia, inserta sunt Tomo I. Oper. part. II. pag. 112.) ultra sortem & conditionem suam extollantur, illis ademptâ divinâ auctoritate, quam habent, his delatâ, quam non habent, solicitè provideamus. Altera, eaque gravissima causa est, quòd Concilium Tridentinum libros Apocryphos pro sacris & Canonicis haberi sub anathematis pœnâ sanxerit, hocque ipso contrariam sententiam (quæ est totius Ecclesiæ V. T, totiusque Ecclesiæ N. T. quatuor pri-

morum seculorum tam in Oriente, quàm in Occidente; quin & Ecclesiæ, quæ primitivam utrobique multis posterioribus seculis excepit) tanquam hæreticam, & cum qua spes æternæ salutis nequeat consistere, impio ausu proscripserit ac condemnaverit. Clara sunt ea de re verba Synodi Sess. IV: *Synodus perspiciens hanc veritatem* salutarem *& disciplinam* morum *contineri in libris scriptis, & sine scripto traditionibus, quæ ex ipsius Christi ore ab Apostolis acceptæ, aut ab ipsis Apostolis Spiritu Sancto dictante, quasi per manus traditæ, ad nos usque pervenerunt; orthodoxorum Patrum exempla secuta, omnes libros tam veteris quàm Novi Testamenti, cùm utriusque unus Deus sit auctor, nec non traditiones ipsas, tum ad fidem, tum ad mores pertinentes, tanquam vel oretenus à Christo, vel à Spiritu S. dictatas, & continuâ successione in Ecclesia Catholica conservatas, pari pietatis affectu ac reverentiâ suscipit & veneratur. Sacrorum verò librorum Indicem huic decreto adscribendum censuit; ne cui dubitatio suboriri possit, quinam sint, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur.* Subjicit videl. Catalogum omnium librorum V. & N. T. qui in Veteri vulgata habentur, quos inter sunt Tobias, Judith, Supplem. Esther, Sapientia, Ecclesiasticus, Baruch, Additamenta ad Danielem, duo Maccabæorum; hocque contexto, pergit: *Si quis autem libros ipsos integros, cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia Catholica legi consueverunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro sacris & canonicis non suscepterit; & traditiones prædictas sciens & prudens contempserit: anathema sit.* Judicet nunc, quisquis volet, an non satis causæ habeamus, acerrimè cum Pontificiis decertandi pro ea quidem sententiâ, ob quam tam dirum fulmen & superbum anathema in nos pariter ac universam veterem Ecclesiam vibra-

bratur? Nec equidem crediderim id in mentem veniſſe Epiſcopio, cùm illa ſcriberet: cui cæteroquin in eo, quod addit, *non pauciora eſſe in libris Apocryphis, quæ convellendis Pontificiorum erroribus faciunt, quam quæ aut fulciendis, aut ſtabiliendis ſervire poſſunt*, lubens conſentio.

II. Sed & illud ſimul ex adductis Concilii Tridentini verbis liquet, fruſtra ſcripſiſſe Grotium in Animadverſ. pro ſuis notis ad Conſult. Caſſandri tit. de Canon. Script. *Vetus Teſtamentum quod attinet, cùm latinæ verſiones varient, non eſſe, quod credatur Synodus Tridentina obligare eruditos ad habenda pro Canonicis ea, quæ non in omnibus latinis Codicibus exſtant*: qualia ſunt additamenta ad Eſtherem & Danielem. Namque Concilium decretis ſuis eruditos non minùs ſtringere voluiſſe, quàm alios, in confeſſo eſt & extra controverſiam.

III. Cæterum conciliationem tentat Grotius, in Annotat. ad Conſult. Caſſandri, in Controverſia illa generali de libris Apocryphis. *Conciliaturam*, inquit, *nobis dat Hieronymus in Præfat. ad Proverbia, qui ait utiles eos eſſe ad ædificationem plebis, non ad eccleſiaſticorum dogmatum auctoritatem confirmandam.* Si verò integer Hieronymi contextus inſpiciatur, certum eſt, eum libros iſtos, quos ad ædificationem plebis, non ad eccleſiaſticorum dogmatum auctoritatem in Eccleſiâ legi vult, eô ipſo pro non-Canonicis haberi velle. *Sicut ergo*, ſunt verba Hieronymi, *Judith & Tobiæ & Maccabæorum libros legit quidem Eccleſia, ſed eos inter Canonicas Scripturas non recipit: ſic & hæc duo volumina* (Panareton Jeſu filii Syrach librum, & Pſeudepigraphum, qui inſcribitur Sapientia Salomonis, deſignat) *legat ad ædificationem plebis, non ad autoritatem Eccleſiaſticorum dogmatum*

*confirmandam.* Manifestum profectò est, pro iisdem hîc sumi, Ecclesiam non recipere aliquem librum inter Scripturas Canonicas, & Ecclesiam non legere aliquem librum ad ecclesiasticorum dogmatum auctoritatem confirmandam. Non itaque conciliatura est ea Hieronymi sententia, sed absoluta & aperta in nostram partem decisio. Synodus verò Tridentina, non Hieronymo tantùm, sed & Grotio adversa, postquam libros omnes veteris vulgatæ, Canonicos, Apocryphos, enumerasset, eosque integros & cum omnibus suis partibus pro sacris & Canonicis suscipi, sub anathematis pœnâ constituisset, expressè subjicit: *Omnes itaque intelligunt, quo ordine & viâ ipsa Synodus, post iactum fidei Confessionis fundamentum, sit progressura, & quibus potissimùm testimoniis ac præsidiis in confirmandis dogmatibus, & instaurandis in Ecclesia moribus sit usura.*

## CAPUT III.

## De Sufficientia Scripturæ Sacræ, crassus Remonstrantium in Præfat. Apologiæ, circa Pontificiorum sententiam, error indicatur.

I.

NOtandus hîc venit insignis Remonstrantium lapsus. Nihil notius est ac pervulgatius, quàm quòd Pontificii negent, in Scriptura S. contineri ea omnia, quæ ad fidem & mores, adeoque ad salutem sunt necessaria. Hinc Episcopius Instit. Theol. pag. 244. b. *Pontificii statuunt præter libros Sacros scriptos, sive traditiones libris istis scriptis comprehensas, necessarias esse traditiones non scriptas, quæ parem cum Scripturâ au-*

*rà auctoritatem habeant; & sine quibus ea, quæ ad fidem & mores necessaria sunt, scire nequeunt.* Cui sententiæ refutandæ deinceps integra cap. XIV. & XV. lib. IV. impendit. Quin & cognitu summè necessariam veritatem eâ labefactari, affirmat Concione XXIV. ad Joann. XVII, 3. Wat die van 't Pausdom aengaet, daer in is het alderhooghste capitale verschil over het gene, dat aldernoodighst is te weten en te ghelooven; of namelijck de schriftuyre den eenigen volkomen reghel van ons geloove is, dan of het is het ordeel van de Kercke, ofte van den Roomschen Bisschop en Paus? De eadem quoque conqueritur Auctor Præfat. in dictas Concion. pag. 6. & 7: Het twede is, om dat het remedie en het genees-middel tegen de scheuringen en de ergernissen, die daer mede gegeven en genomen worden, veel lichter te vinden is, als in de eerste tijden. Dat de H. Schrifture, bestaende in de Boecken die men den Bybel noemt, (weynige bocken en stucken uytgenomen, die men by de schriften des O: Testaments heeft gevoeght) en met namen in alle de boecken en schriften van 't N: Testament, Gods Woort is, en derhalven van onfeylbare waerheyt; wort nu van alle Christenen in 't gemeyn toegestaen en bekent. De Papistische Secte maeckt dit remedie bykans heel onprofytelick deur verscheyden wegen, met naemen daer mede, dat sy ons een sichtbaerlicken

cken Rechter opdringen wil, die deur syne authoriteyt een eynde maken kan en moet van alle misverstanden en verschillen, die voor vallen mogen over eenige saken, die te gelooven en te noodigh zijn, en in de Schrifture of gantsch niet zijn begrepen, of daer in so donckerlick zijn voorgestelt, dat men dusdanige stucken uyt de Schrifture niet leeren of bewysen, noch de verschillen daer over vallende ten eynde brengen kan.

II. Nihilominus tamen Remonstrantes in Præfat. Apologiæ pag. 102. a. de sententia Pontificiorum, quod ad sufficientiam S. Scripturæ attinet, haud aliter loquuntur, atque si illos inter & Protestantes maxima eâ de re esset consensio. *Controversia est*, inquiunt, *inter Pontificios & Reformatos de Judice Controversiarum, An videlicet præter Scripturam judex aliquis loquens sit in Ecclesia, qui controversias omnes decidat autoritate irrefragabili? Plana & facilis videtur hujus Controversiæ decisio, si modò præjudicia ponantur, & animus judicio affectuque liber ad eam dijudicandam adferatur. De Scriptura constat, eam primitus traditam esse simplicibus, rudibus ac vulgaribus hominibus, eo fine, ut ex ea viam salutis æternæ peterent, ac discerent: Eam continere sensus omnes necessarios ad salutem, pars utraque fatetur: Judicem perpetuò loquentem in ea nominatim non designari, certum est. Ex quibus, quàm facilè hæc controversia possit decidi, nemo non intelligit.* Quæ quomodo vel excusari, vel benignâ interpretatione sublevari queant, equidem non video.

CA-

# Caput IV.

## De Interpretatione Scripturæ, & Controversiarum, quæ circa eandem occurrunt, dijudicatione.

## Sectio I.

### *Grotius papizans confutatur.*

1.

Si cubi de Interpretatione Scripturarum controversiæ ac lites oriantur, his illum, illis alium sensum pro vero haberi volentibus; quamvis inde necessariorum dogmatum veritas pendeat, non posse tamen eas finiri unquam statuit Grotius in Discussione Apologetici Rivetiani, nisi recurratur ad traditionem, isque demum verus ac genuinus sensus judicetur, qui ex traditione probari possit. Ita enim ille pag. 26. & 27. Discussionis: *Sicut*, inquit, *in legibus humanis valet quidem, ad sensum indagandum, verborum & locutionum cognitio, antecedentium & consequentium series, consideratio ejus, quæ quoquo libro tractatur, materiæ; sed hæc omnia ita sunt dirigenda, ne impingant in id, quod ab initio publicatæ legis de re quaque receptum, & judiciis approbatum fuit: ita in legibus divinis quidem, sed humano more per verba & verborum signa literas expressis, eadem interpretationi circumdanda sunt repagula. Quod cum Calvinus non minùs spreverit, quàm Menno & Socinus; ideo, quæcunque Mennoni & Socino objicit D. Rivetus, eadem ab aliis pari jure objiciuntur Calvino. Quæ ergo via exeundi ex tot scissuris, inter quas cum magno periculo fluctuant populorum animæ? Anea, quam D. Rivetus indicat, ut Scripturas*

*sequamur solas? At eas, & quidem solas, sequi se clamat Menno, Socinus, Brunus & alii; & , id clamando, populos in istum labyrinthum induxere. Non aliunde, ait Augustinus, natæ sunt hæreses & quædam dogmata perversitatis, illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia; nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, temerè & audacter asseritur. Hieronymus verò in Dialogo Orthodoxi & Luciferiani: Ne sibi blandiantur (nempe hæretici) si de Scripturarum capitibus videntur sibi affirmare quod dicunt: cùm & diabolus de Scripturis aliqua sit locutus, & Scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo. Jeremias etiam, Constantinopolitanus Patriarcha, omnium dissidiorum hunc ait esse fontem, quòd Scripturæ explicentur insensus, à Veterum sensibus extraneos. Parendum ergo est traditioni, dummodo benè probetur, id est, quantum æquo homini satis esse debet. Sic fiet, ut, secundum Augustini prudens monitum, sacrorum librorum saluberrima auctoritas nec contemta penitus obsolescat, nec interminata confundatur. Ea autem, de qua loquor, traditio colligi quidem potest & ex veterum scriptorum consensu; sed optimè tutissimeque colligitur in Concilio Universali, ubi tot sunt viri eruditi, ut nullus sit liber ignoratus omnibus: præterea Episcopi testari possunt, quid in suis Ecclesiis semper receptum fuerit. Consensus autem istius, qui in Veterum scriptis, maximeque in Conciliis Universalibus apparet, custodes quidem sunt Episcopi omnes; sed auctoritatis ad veritatem unitatemque retinendam præcipuè Episcopus Romanus, quem Ecclesiæ aliæ, ad vitanda ex rebus dubiis schismata, consulere, ex quo Apostoli in terris vivere desierunt, sunt solitæ. Et hinc est, quod Ecclesia Romana ab antiquis dicitur aliarum Ecclesiarum Magistra. Hanc viam iniit Hieronymus in quæstione de Hypostasibus: hanc Afri in quæstione de Gratia: hanc*

*hanc alii viri, ingenio, eruditione, pietate præstantes. Corrumpi quidem mores Romæ, & alibi passus est Deus: at doctrina, illis ipsis malis moribus contraria, Deo ita res dirigente, corrupta non est.* Et infra pag. 189. 190. in eandem materiam incidens, *Diximus*, ait, *supra, per consentientem traditionem septa circumdari nimium alioqui evagaturæ interpretationi sacrarum literarum. Inquirenda ergo traditio. Fieri autem id tutius certiusquè non potest, quàm cùm non pauci, sed multi, & ex multis partibus conferunt operam, &, quidquid objici potest, maturo judicio expendunt: præterque librorum testimonia, adjungunt etiam facti testimonium; id est, quid in suis cujusque Ecclesiis semper dictum, auditum, receptum fuerit. Postquam verò id, quod in tali Concilio ex vi traditionis pronunciatum est, etiam ab Ecclesiis receptum est omnibus, aut penè omnibus, iis maximè, quæ sedes ab Apostolis fundatas habent; jam nihil video firmi, cur vir pius & pacis amans ei se opponere debeat. Nam sic & apud Judæos vitatæ sunt scissuræ, quòd adversus interpretationem semel à Synedrio magno pronunciatam, atque firmatam, contradicere nemini licuit. Qua de re lex constat Deut. XVII, 11. 12. Hanc viam instituêre Ecclesiarum præsides, cùm Arius, Macedonius, Nestorius, Eutyches, pacem Ecclesiæ turbarent. Quibus de causis coactas Synodos quatuor totâ devotione complecti, & integerrimâ approbatione custodire se dicit Gregorius Magnus. Confessio Augustana sic ait: Hæc est usitata & legitima via in Ecclesia dirimendi dissensiones, videlicet ad Synodos rejicere controversias Ecclesiasticas. Wirtembergica verò: Ecclesia habet jus testandi de Sacra Scriptura, & jus judicandi de omnibo doctrinis. Jeremias, Græcorum nomine, dicit, apud se Scripturas exponi, non ut cuiq; visum, sed ex præscripto Synodorũ universalium. Sipsa per se Scriptura lecta, ut vult D. Rivetus, ambiguitates tolleret, supervacuus fuisset is*

*labor. Sed contrà rem se habere, & Veteres illi crediderunt, & ipsa monstrat experientia. Nullum est scriptum, in quod non incidere possit de vero sensu vocum, aut singularum aut connexarum, disputatio: cui tollendæ ipsum per se scriptum sufficere, nemo sanus dixerit. Hilarius: De Scriptura non est hæresis, sed de sensu Scripturæ. Quæ Concilia pro plenariis aut Universalibus habenda sint, & quomodo undique selecti dicantur Episcopi, satis appareat ex Actis Synodicis & aliis Scriptis antiquorum. Quod si aliqui ex plebe otium non habent evolvendi Synodorum Acta, ii laudatos sui seculi Doctores, in Conciliis versatos, consulant.*

II. Cæterum hanc assertionem de necessitate consulendi traditionem ad percipiendos Scripturæ sensus, non absimilem effato hæreticorum, quod est apud Irenæum lib. III. cap 2. *Non posse ex Scripturis inveniri veritatem ab his, qui nesciant traditionem*, ipsa Scripturæ perspicuitas abunde refellit. Scilicet Scriptura Sacra in iis, quæ unicuique creditu, speratu, factu sunt necessaria, valde est perspicua, dicente Grotio in Annotat. ad consult. Cass. tit. *de perspicuitate Scripturæ*; atque ita quidem perspicua, ut ab omnibus sufficienter possit intelligi: idque, quia omnibus scripta est, ut itidem fatetur Grotius in Voto pro pace tit. *An omnibus permittenda Scripturæ lectio.* Nam quod omnibus scriptum est, ad captum omnium scribi debuit. At si Scriptura in necessariis omnium captui est accommodata, certum quoque jam est & manifestissimum, nullam exoriri posse de dogmate necessario controversiam, quin eam indocti pariter ac docti ex Scriptura, quantum satis est, decidere valeant: quandoquidem in Scriptura Novi Testamenti, imo, ait Grotius, in Annotat. ad Cassand. tit. *de Sufficientia S. Scripturæ*, in solis libris Lucæ & Joannis ea continentur, quæ

cuivis

cuivis Christiano cognitu, speratu, factu sunt necessaria. Quapropter in talibus certè traditionem consulendi necessitas nulla est. Quòd si nihilominus hæreant hæretici, & sensus Scripturæ necessarios non assequantur; eorum culpâ id accidit. Satis interea est, quòd assequi, si debito modo velint, possint. An affectata hæreticorum ignorantia claritati Scripturæ præjudicet? Neque tamen Scripturam per se lectam, non adhibitis ullis interpretandi mediis; sed Scripturam intellectam secundum regulas interpretandi, quæ omnibus patent, & æquè promptæ sunt rudibus atque eruditis, tollendis ambiguitatibus & disputationibus circa sensus necessarios sufficere statuimus. Neque etiam id eò usque extendi volumus, atque si indoctos non minùs, quàm doctos dissolvendis hæreticorum exceptionibus aptos putaremus. Illud enim doctoribus relictum esse, quique habitu Theologiæ, peritia Philosophiæ, & Philologiæ probe instructi atque exculti sunt, satis habemus exploratum. Sed & à Traditione exceptionum omnium solutio frustra expectatur. Interim traditionem, ubi haberi potest, magni, ceu par est, facimus, eâque nos plurimũ contra Hæreticos adjuvari posse profitemur: sicuti nec dogmata cum tota antiquitate pugnantia recipimus.

III. Ceterum an de Traditione res omnis adeo prorsus liquida est & expedita, ut nulla circa eam lis remanserit aut controversia, inter eos, qui circa Scripturæ interpretationem inter se discordant? Annon quisque pro sua parte stare Antiquitatem clamitat? Quin ipse Grotius fateri est coactus in Annotat. ad Consult. Cass. tit. de Suffic. Script. & autorit. tradit. *Rectè dici Scripturæ paratiorem auctoritatem, quia traditionum probatio interdum est*

*difficilior & laborioſior.* Quod neceſſitati conſulendi traditiones, haud parum adverſatur. Etenim ubi difficilior eſt traditionum probatio, ibi dubium non eſt, quin plures quoque & difficiliores circa traditiones nectere tricas poſſint hæretici, quam circa Scripturæ dicta, cujus paratior cenſetur eſſe auctoritas. Quæ ergo inde ſe expediendi dabitur ratio? Unde plebejis innoteſcet Traditio? Ex concilii, inquit, ſententia. Sic igitur omnis plebejorum fides reſolvetur in Concilii auctoritatem, non majorem ipſâ certitudinem habitura. Et verò hæretica dogmata in Conciliis tam generalibus, (quale fuit Ariminenſe, præſertim ſi ei addatur Seleucienſe, eodem tempore habitum) quàm particularibus aliquando ſtabilita conſtat, quæ Traditioni minimè credebantur adverſa. Quanquam cæteroquin Conciliorum auctoritatem veneror, ac magni facio; utilitatem agnoſco & deprædico.

IV. Fruſtraneum autem quàm maximè eſt, ad Pontificem Romanum remittere, ut inde veri Scripturarum ſenſus petantur. Etenim uti is nequaquam eſt infallibilis, ipſomet agnoſcente Grotio: ita tantum abeſt ut illius auctoritati, quàm cætera ſuſpexerunt, in omnibus cedendum ſibi duxerint cùm reliqua Eccleſia, tum ſinguli Epiſcopi; ut ne quidem pro re natâ ab anathematis in ipſum jaciendis abſtinuerint. Sic Honorius Pont. Rom. à Concilio Oecumenico ſexto ut Monotheleta, & ſeculo quarto Liberius ab Hilario Pictavienſi propter Arianæ hæreſeos approbationem damnati, & anathemate percuſſi fuêre. Quin & Leo II. Honorio, quem modò diximus, Pontifex Romanus Pontifici Romano, anathema dixit. Quod Grotius ait, Romæ doctrinam, Deo ita res dirigente, non eſſe corruptam;

ptam; næ id λίαν μέγα ἄτημα, & tale est, quod non dici, sed discussis, si fieri possit, rationibus contrariis confirmare conveniebat. Non enim fugit Virum doctissimum, quàm gravibus argumentis ei repugnent obsistantque alii.

V. Quamobrem audiamus potius ex ineunte seculo III. Clementem Alexandrinum, ad Sacram Scripturam nos deducentem hisce verbis: *Principium doctrinæ habemus Dominum, qui & per Prophetas, & per Evangelium, & per beatos Apostolos, multifariam multisq; modis à principio ad finem deducit cognitionis. Principium autem, si quis alio opus habere existimavit, non utique verè poterit manere principium. Quis est ergo ex seipso fidelis, Dominicâ Scripturâ & voce est fide dignus, quæ per Dominum exercetur ad hominum beneficium. Ipsâ autem, tanquam criterio, utimur ad res inveniendas. Quicquid autem judicatur, non creditur priusquam fuerit judicatum: quare nec est principium id, quod opus habet judicio. Meritò ergò cum fide deprehenderimus principium indemonstrabile ex abundanti, & ab ipso principio de principio demonstrationes sumpserimus, voce Domini erudimur ad agnitionem veritatis. Non enim absolutè enunciantibus hominibus fidem habebimus, quibus licet etiam annunciare contrarium. Si autem non satis est, solùm absolutè dicere quod videtur, sed oportet etiam probare quod dictum est; non expectamus testimonium quod datur ab hominibus, sed voce Domini probamus quod quæritur, quæ est magis fide digna quàm quævis demonstratio, vel potius quæ est sola demonstratio, per quam scientiam, qui solùm gustavere Scripturas, sunt fideles: qui autem etiam ulterius processerunt, sunt perfecti gnomones veritatis, ii scilicet, qui sunt cognitione præditi.* lib. VII. Stromatum non procul à fine, pag. 757. edit. Lutet. A. 1629. Paulò ante p. 755. dixerat: *Si sit demonstra-*

*stratio, necesse est descendere ad quæstiones, & per ipsas Scripturas discere demonstrativè, quomodo lapsæ sunt hæreses: & contra quomodo in solâ veritate & antiqua Ecclesia sit perfectissim, cognitio, & ea, quæ est revera optima hæresis, i. e. electio.* Sequamur Optatum Milevitanum, Scriptorem Seculi quarti, qui, cùm acriter contenderent Donatistæ, licere baptismum iterare, lib. V. de Schismate Donatistarum contra Parmen. *Vos,* inquit, *dicitis, licet: nos dicimus, non licet. Inter licet vestrum, & non-licet nostrum nutant & remigant animæ populorum. Nemo vobis credat, nemo nobis: omnes contentiosi homines sumus. Quærendi sunt judices. Si Christiani de utraque parte dari non possunt, quia studiis veritas impeditur, de foris quærendus est judex. Si Paganus, non potest nosse Christiana secreta. Si Judæus, inimicus est Christiani baptismatis. Ergo in terris de hac re nullum poterit reperiri judicium, de Cœlo quærendus est judex. Sed ut quid pulsamus ad cœlum, cùm habeamus hic in Evangelio testamentum? Quia hoc loco rectè possunt terrena cœlestibus comparari. Tale est, quod quivis hominum habens numerosos filios, his quam diu pater præsens est, ipse imperat singulis; non est adhuc necessarium testamentum: Sic & Christus, quàm diu in terris præsens fuit, (quamvis nec modo desit) pro tempore quicquid necessarium erat, Apostolis imperavit. Sed quomodo terrenus Pater, cùm se in confinio senserit mortis, timens ne post mortem suam, rupta pace, litigent fratres, adhibitis testibus voluntatem suam de pectore moriturο transfert in tabulas diu duraturas; & si fuerit inter fratres contentio nata, non itur ad tumulum, sed quæritur testamentum; & qui in tumulo quievit, tacitis de tabulis loquitur vivus. Is, cujus est testamentum in cœlo est. Ergo voluntas ejus velut in testamento, sic in Evangelio inquiratur.* Similiter

ter Augustinus, cùm, invalescente Arianâ hæresi, Concilium Concilio opponi videret, *Sed, nunc*, inquit, *nec ego Nicænum, nec tu debes Ariminense tanquam præjudicaturus proferre Concilium. Nec ego hujus autoritate, nec tu illius detineris. Scripturarum autoritatibus, non quorumcunque propriis, sed utriusque communibus testibus, res cum re, causa cum causâ, ratio cum ratione concertet.* lib. III. contra Maximinum Arianum cap. XIV.

## Sectio II.

### *Remonstrantes, Rationem nimio plus efferentes, refelluntur.*

I.

REmonstrantes in Confessione suâ Cap. I. num. 16. sensum literalem descripturi, appellandum censent *non tam eum, quem verba propriè sumpta præ se ferunt, (ut quidem sæpissimè accidit) quàm eum, qui, licet verba rigidè accepta eum non insinuent, tamen Rectæ Rationi, & ipsi menti atque intentioni ejus, qui verba protulit, convenientissimus est, sive ille propriè, sivè figuratè enunciatus sit.* Quibus verbis ad sensum literalem Scripturæ, ejusdem cum recta ratione convenientia perperam exigitur. Nam quomodo rectæ rationi conveniant illi quidem sensus, ad quos per naturalia sua principia nequaquam pertingere valet recta ratio, ita, ut judicare possit, verumne sit, quod iis continetur, an falsum? quales sunt omnes illi sensus, quibus aliquid, quod supra naturã est, continetur. Quamvis enim revelati sint, adhuc tamen ex naturalibus rationis principiis nequeunt vel cognosci, vel dijudicari; sed omnis eorum cognitio Revelationi divinæ in solidum accepta debet referri. Et verò *rationem* ibi

designari, non quatenus ex regulis interprêtandi, sed quatenus ex principiis naturalibus, quæ sunt de rebus ipsis, judicat, vel ipsa illa naturalia rationis principia; verborum contextus neminem patitur ambigere: tametsi Remonstrantes, lucem fugientes, in Apologia p. 127. a. protestentur, *rectam rationem hic non significare vim, quâ homo ratiocinando ex se ipso excogitare aut invenire potest id, quod rectæ & divinæ voluntati conveniens est; sed tantùm vim, quâ sensum clarè & perspicuè à Deo revelatum apprehendere, aut ex verborum circumstantiis, ex antecedentibus & consequentibus &c. rectè seu convenienter intentioni ejus, qui verba protulit, elicere potest.* Qua ratione etiam explicant Rectam Rationem in Vedel. Rhapsod. p. 332. a. scribentes: *Neque enim mens Remonstrantium est, postulare ut recta ratio primùm dictet, idcirco sensum istum sic interpretandum esse, quia ratio humana dictat rem ita necessariò fieri debuisse, ut e. g. per crucis mortem redimendum fuisse genus hominum, per fidem justificandum &c. Sic enim ratio humana mensura foret etiam liberæ voluntatis Dei. Sed mens eorum est postulare, ut, cùm de sensu aliquo dubio quæritur, nihil admittatur ad eruendum sensum illum, quod contra rectam rationem, i. e. quod absurdum est; sed ille sensus pro verissimo habeatur, qui rationi rectæ, i. e. antecedentibus & consequentibus ratione rectâ collatis, proximè convenit.* (Cui tamen explicationi isto loco antecedentia pariter, ac consequentia reclamant. Antecedunt hæc sub fin. p. 331. *Quicquid absurdum, falsum & stultum est secundùm rectam rationem, id apud Deum & ubique absurdum falsum & stultum est; ut si quis dicat unum esse duo, unum & duo non facere tria, si ab æqualibus æqualia demas, quæ relinquuntur, non esse æqualia.* Sequuntur paucis interjectis ista: *Rectè ratiocinans non po-*

*test*

*est dicere absurdum esse, aut repugnans rectæ rationi, aut contradictionem in adjecto habere, i. e. non esse secundùm rationem, si quis dicat mortuorum suscitationem esse futuram*) Nam ita acceptæ rectæ rationi incongruè adderetur, in definitione sensus literalis, intentio ejus, qui verba protulit: siquidem in illa jam erat comprehensa. Ponamus enim ita accipi: Jam Sensus literalis est, qui, licet verba rigidè accepta eum non insinuent, tamen rectæ rationi h. e. facultati, quâ homo sensum clarè & perspicuè à Deo revelatum apprehendere, aut ex verborum circumstantiis, ex antecedentibus & consequentibus rectè seu *convenienter intentioni ejus, qui verba protulit*, elicere potest, *& ipsi menti atque intentioni ejus, qui verba protulit*, convenientissimus est, sive ille propriè, sive figuratè sit enunciatus. Quis ita loquatur? Vel mens atque intentio proferentis, vel recta ratio hoc significatu sumpta omitti debebat. Manifestum autem profectò est, si contextus inspiciatur, aliud quid Remonstrantes per vim atque intentionem proferentis, aliud per rectam rationem indicare voluisse: quemadmodum etiam in loco jam citat. ex Vedel. Rhaps. pag. 332. suo se sorices indicio prodidisse ostendimus. Quamobrem suæ ipsimet non fidentes interpretationi, aliam substituunt in Vedelio Rhapsodo, suo judicio ad elabendum opportuniorem. *Dogmata Remonstrantium*, inquiunt ibid. pag. 331. a. init. cap. IV. *quæ recenset Vedelius, ad hoc unum caput referuntur: Eum esse verum sensum literalem Scripturæ, seu eam esse veram interpretationem Scripturæ per Scripturam, quando interpretatio illa non solùm menti auctoris, sed etiam rectè rationi convenientissima est; sive, Documenta fidei rationi rectæ non disconvenire. Ita est, si de sensibus istis, seu de ista interpretatione Re-*

*monstrantium sententia accipiatur, quam verba rigidè accepta non insinuant. Sensus enim literales non pauci exstant, qui nullâ interpretatione egent, ut cum legitur: Non furaberis, non committes adulterium &c. At sensus etiam quidam sunt, quos ipsa verba immediatè ac præcisè non insinuant, sed qui ex verbis adhibitâ aliquâ interpretatione commodâ eliciuntur, quales sensus in omnibus figuratis & tropicis orationibus reperire est. In his ratiocinatione opus est, & ratiocinatione rectâ, quæ demonstrat sensum istum, quem quis ex verbis rigidè & secundum literam ἀποτόμως acceptis inferre vult, absurdum esse.* Quæ explicatio, uti a priore immane quantum differt, ita adhuc magis est contorta ac frigida. Sic enim sensum aliquem non solum menti auctoris, sed etiam rectæ rationi convenire, idem erit, ac sensum aliquem, quem verba rigidè accepta non insinuant, non solùm convenire menti auctoris, sed & non disconvenire rationi, quatenus recta ratiocinatione demonstrat sensum istum, quem quis ex verbis rigidè & secundum literam ἀποτόμως acceptis inferre vult, absurdum esse. Quomodo hæc cohærent? Sed & verbis Confessionis maximam ita vim inferri, vel sola ista in fine definitionis sensus literalis posita verba, *sive ille* sensus *propriè, sive figuratè enunciatus sit*, apertè revincunt. Hinc enim manifestissimum est, confessionem loqui non tantùm de illis sensibus, qui figuratis aut tropicis orationibus significantur, quique hîc adhibita aliqua interpretatione commoda elici dicuntur; sed de sensu literali in genere, adeoque indiscriminatim de omnibus, tam qui propriis, quàm qui figuratis orationibus enunciantur.

II. Quando autem circa interpretationem priorem ex Apologia adductam monuimus, non posse Remonstrantes

tes, in definitione sensus literalis, per rectam rationem vim eliciendi sensum ex regulis interpretandi intelligere; dicat fortè aliquis, Remonstrantes tamen neutiquam statuere, quòd homo ratiocinando ex se ipso excogitare aut invenire queat id, quod rectum & divinæ voluntati conveniens est: relinqui ergo, quando affirmarunt sensus Scripturæ rectæ rationi convenire debere, eos per rectam rationem nihil aliud designâsse, quàm vim illam, quâ homo sensum clarè & perspicuè à Deo revelatum apprehendere, aut ex verborum circumstantiis, ex antecedentibus & consequentibus, rectè seu convenienter intentioni ejus, qui verba protulit, elicere potest. Sed non procedit ista consequentia. Datur enim tertium, scilicet rectam rationem posse judicare, utrum sensus jam revelati naturalibus suis principiis conveniant, an non conveniant, indeque veri, an falsi sint censendi; idq; procul dubio in Confessione suâ intendere runt Remonstrantes: nec minùs alibi. Hinc in Vedel. Rhapsod. pag. 347. b. testantur ideo se nunquam adseruisse, dogmata de Trinitate, quæ in scholis aut Conciliis præter aut extra Scripturæ stylum ac phrasin decisa sunt, necessaria esse, *ne leviter damnent infinitos hominum myriades, qui dogmata ista aut ignorant, aut in dubium vocant, aut negant, nullo alio argumento inducti, quàm quòd ea nec in Scripturis possint deprehendere*, (adhibitis nempe convenientibus interpretandi mediis) *nec ut rationi rectæ convenientia comprehendere.* quasi scil. credi non debeant, nisi quæ ut rectæ rationi conveniens comprehenderis. Quò etiam pertinet, quòd in Apologia pag. 275. a. expressè rectam rationem juxta Scripturam S. omnium Theologicarum Controversiarum normam constituant. *Liber animus*, inquiunt, *& qui omnia*

*sine præjudicio ad Scripturæ S. & rectæ rationis normam amas expendere, unicus adeoque optimus veritatis judex atque arbiter est.*

III. Imo, si propiùs animum advertamus, Remonstrantes in Vedelio Rhapsodo omnem normæ perfectionem Scripturæ S. quoad controversiarum decisionem derogant, eamque soli rectæ rationi vendicant ac transcribunt. Docent enim, quod mireris, nullam controversiam è verbo Dei dirimi posse, sed in omnibus tandem ad rectæ rationis judicium confugiendum, videndumque, quamnam controversiæ partem recta ratio ex suis principiis absurdam, quam non absurdam judicet; atque hanc demum verissimam, istam verò falsissimam censendam. Locus exstat in Vedel. Rhaps. pag. 332. 333. quem per partes subjiciemus & examinabimus. *Et ne quid reliquum sit, ajunt, ad perfectam insaniam, consilium dat Vedelius, quod Christiani populi sequantur, auream pacem Ecclesiæ brevi aut restitutum, aut datum iri promittit; nempe huiusmodi, Ne hoc pacto progrediantur in dijudicandis dogmatis: Hæc doctrina absurda est rationi sanæ, seu ex ea sequitur hoc vel illud absurdum: Ergo verbo Dei repugnat; Sed ita: Hæc doctrina verbo Dei repugnat, Ergo est absurda. Consilium primâ fronte speciosum quidem, sed quod, quia solo rectæ rationis odio datur, meritò suspectum videri debet, & non uno nomine pernicioſum est. Nam* (1.) *suspicionem non levem injicit animis bonorum, quòd sanctissima & perfectissima doctrina Christi absurditatibus non paucis laboret, quibus intricatos eos hærere necesse; cùm tamen ea diserte vocetur* λογικὴ λατρεία *ab Apostolo Rom. 12. 1. &* γάλα λογικὸν καὶ ἄδολον *à Petro 1. epist. c. 2. 2.* (2.) *Viam omnem præcludit atheos ac Judæos, absurditatibus variis gravantes religionem Christi, ad amorem*

*religio-*

*religionis Christianæ adducendi. Nam juxta hoc consilium dogmata Religionis Christianæ primùm ab iis credenda atque admittenda sunt, quàm ut convinci possint rectæ rationis beneficio atque auxilio, nulla esse absurda in religione Christiana, propter quæ ab ea amplectenda deterreantur aut deterreri jure debeant. Verùm enim verò de Christianis loquor, inquies, & qui Religionem Christi jam pro vera amplexi sunt. Imo, inquam, & his suspectum esse debet hoc consilium. Nam aut volumus doctrinam Christi claram ac perspicuam esse in omnibus scitu ac creditu ad salutem necessariis; aut non ita claram esse, ut non etiam controversa sit in quibusdam scitu necessariis. Si claram eam esse volumus in necessariis omnibus, tum absurdis etiam eam carere necesse est: Nam clarum esse idem est, quod absurditatibus carere.* (Obiter: quis non miretur istam clarorum descriptionem, juxta quam obscurissima quæque, dummoda vera sint, clara dici merentur.) *Absurda enim intellectui obscura sunt & mentem obnubilant, ita ut ea pervidere ac perspicere tanquam vera, ac divinæ veritati convenientia non valeat. Si volumus eam ita claram non esse in necessariis ad salutem, ut non etiam in multis controversa sit; quomodo in tali casu consilium hoc, sive hæc procedendi ratio locum habere potest? Imo quomodo per eam non ponitur obex manifestus, quò minùs controversia ulla dirimi, & sic ad cognitionem veritatis perveniri unquam possit? Nam pone controversiam esse e. g. de Prædestinatione, de Cœna Domini &c. & loca, quæ hinc inde allegantur, controversa esse; quâ viâ juxta hunc processum fiet, ut quis certus ac persuasus sit hanc, non illam controversiæ partem verbo Dei contrariam esse? Ex ipso Dei verbo? Atqui istud controversum est. Ex absurdis, quia videl. ex hac parte controversiæ hoc vel illud absurdum sequitur, non autem ex altera? Atqui sic procedendum non*

*non est, ait Vedelius. Necesse itaque est ut controversia hæreat paxillo fixa ac suspensa, & animi partium in necessariis scitu æternùm perplexi maneant. Consilium itaque hoc planè inutile, malesanum & periculosum videri debet. Et mirum est hoc suggerere audere Vedelium, aliosque ejusdem exedræ Doctores, cum insanis quibusdam Anabaptistis; cùm constet eos, quando ita usu venit, Pontificios, Lutheranos, aliosque adversarios suos consequentiarum ab absurdis petitarum non tam pondere, quàm numero obruere. Et profectò malè merentur de degenere humano, qui argumenta ejusmodi è medio tollunt. Sunt enim popularia. Qui rationum momenta non valent capere, ii sentiunt penè ejusmodi argumentorum vim. Ea est principiorum omnium claritas, ut, si quis ea neget, clarioribus rationibus quàm ab absurdo convinci nequeat. Tum quis sapiens aut veri studiosus argumenta ista respuat, cùm ex veris nil nisi verum sequatur, & veritati absurditas non minùs repugnet, quàm luci tenebræ? Quare ista controversiæ pars verissima censeri debet, quæ nullâ absurditate gravatur: ista verò falsissima, ex qua hoc vel illud manifestum absurdum consequitur. Nec alia via, nedum tutior aut certior ad dirimendas controversias dari potest.* Atque per hæc, depulsa ac dejectâ à fastigio suo Scripturâ Sacrâ, rectam rationem veluti supremum tribunal constitui, apud quod exigendæ & disceptandæ sint omnes lites ac controversiæ, quæ de fide & religione Christiana incidere possunt, & à quo petenda sit peremptoria de credendis omnibus sententia, cœcus sit qui non videat. Enim verò sic demum malè prospectum nobis esset, si nihil pro vero habendum, nisi cujus oppositum recta ratio ex suis principiis absurditatis convicere valeat, (nam de tali absurditate Remonstrantes loqui, integer loci quem jam dedimus, contextus luculentissimè comprobat)

Quid

Quid enim tum iis fiet dogmatibus, quæ sunt supra rationem? Opposita dogmata falsa ex naturalibus rectæ rationis principiis nequeunt absurditatis convinci. Quomodo enim v. g. mortuos non resurrecturos, absurdum esse, ex suis principiis demonstrabit recta ratio? An forte in talibus controversiis utraque contradictionis pars videri debet vera, quia circa neutram absurdum aliquod invenit recta ratio, ex suis principiis judicans? Vel quænam tandem fuerit vera, quæ falsa? Ex absurdis, quòd videlicet recta ratio hanc vel illam absurdam judicet, non potest ferri judicium: quia (ceu dictum) neutra contradictionis pars absurditate aliquâ gravatur. Annon itaque, si controversiæ istæ dirimi debeant, oportet tandem ad verbum Dei recurrere, indeque decisionem petere? Atqui illud controversum est, inquis. Hoc verò nihil obstat. Considerandum enim, quô jure quidpiam in controversiam vocetur. Constat autem controversias omnes de rebus necessariis præter rem moveri, & à quovis, qui ab affectibus & præjudiciis integram atque incorruptam habet mentem, ex Scriptura Sacra, mediorum interpretandi, rudibus quoque paratissimorum, ope, dijudicari posse; etsi non æquè quivis rationibus, quæ in contrarium afferuntur, dissolvendis par sit. *Fieri non potest, ut dogmata necessaria in controversiam vocentur, nisi ab iis, quos manifestum est aut ingente præjudicio laborare, aut acribus affectibus abripi, ut vel clarissima videre non possint cœcorum instar; vel videre non curent, instar eorum, qui oculos claudunt ad clarum Solem. Rationes eorum id arguunt, quæ sæpe ne speciem quidem, semper autem præter speciem nihil habent in recessu*, scribunt Remonstrantes, in Ved. Rhapsod. pag. 357, a. Et pag. 377, a ubi hoc argumentum sibi

dissolvendum proposuissent: *Qui ad constituendum necessarium aliquod dogma docent necessariam esse evidentiam talem, quæ omnibus obvia sit, &c. eorum doctrina non solùm quibuscunque hæreticis, sed etiam atheis fenestram & portam bipatentem aperit. Remonstrantes hoc faciunt. Ergo.* Respondent. *Major hæc non modò est controversa, sed & manifestè falsa; quin & repugnans non modò principiis primis Reformationis, sed etiam judicio Theologorum plerorumque, tum veterum, tum recentiorum, qui necessaria omnia ad salutem in Scripturis tam clarè expressa esse asserunt, ut interpretatione nullâ opus sit; denique summè injuria Deo & sacrosancto verbo ejus, quod sensus & cultus omnis nostri perfectissima norma ac regula est, qualis esse non potest absque ista evidentia & perspicuitate.* Rationes verò dogmatibus necessariis oppositæ, audiunt illis eâd. pag. col. b. *sophismata elaborata, autoritates, præjudicia, & nil nisi topica aut artificialia argumenta, quæ, vitrea cùm sint, levi negotio franguntur aut dissiliunt.* Quò magis detestanda est ista Remonstrantium argumentandi ratio: Verbum Dei controversum est in dogmatibus necessariis; Ergo decisionem controversiarum in dogmatibus necessariis non licet ex verbo Dei petere: quippe quæ assertæ perspicuitati Scripturæ, sine qua, ipsis judicibo, Scriptura omnis nostri sensus cultusque perfectissima norma ac regula esse nequit, apertè & quasi è diametro repugnat.

IV. Quæ etsi ita sint, neutiquam tamen rationibus & argumentis ab absurdo, ubi eorum datur copia, quicquam derogatum volumus. Nemo certè argumenta ab absurdo penitus sublata cupit, nisi absurdè. Constet illis sua vis, suaque dignitas; dummodo sint argumenta ex verè absurdis ducta, decenterq; adhibeantur. Nimis prohdolor!

lor! vulgare est, in absurdis haberi, quæ non nisi externam aliquam absurditatis speciem, idque pro ea, quâ sumus judicii imbecillitate, gerunt; & rectã videri velle rationem, quæ corrupta est ac depravata. Ad principia, ex ordine causarum naturalium, & inductione singularium lumine naturæ cognitorum petita, quævis promiscuè solent revocari, tanquam ad principia absolutè necessaria; cùm interea non nisi secundùm quid necessitatem habeant: quæque ad hanc amussim non exactè quadrant, veluti inepta atque à recta ratione abhorrentia exsibilantur, ac proscribuntur. Cujus rei multiplicem habebit testem experientiam, qui hæreticorum, circa unum duntaxat Sanctissimæ Trinitatis mysterium, argumentationes diligenter excusserit. Ab hujusmodi prorupta judicandi audacia procul abesse volumùs, quotquot dignè Theologicas controversias tractare, susceperint; neque protinus tanquam absurda & ἄτοπα rejici, quorum veritatem non satis percipere valet humana ratio. Scitè Chrysostomus, de hebetudine rationis humanæ in cognoscendo Deo differens, Hom. II. in cap. I. Epist. ad Hebræos: *Si pax Dei exsuperat omnem mentem, &, quæ sunt parata iis, qui ipsum diligunt, in cor hominis non ascenderũt; multò magis ipse Deus pacis, omnium opifex, longè nostram exuperat rationem. Oportet ergo omnia susçipere cum fide ac religione; & quando imbecilla fuerit ratio, nec possit exactè explicare (παρρησιάσαι) quæ dicuntur, tunc magis Deum glorificare, quòd talem habemus Deum, qui intelligentiam nostram superat & rationem. Multa enim ex iis, quæ de Deo mente versamus, ne possumus quidem eloqui: vel multa quidem eloquimur, non possumus autem intelligere. Ut puta, quod Deus ubique sit, scimus: quomodo autem, non utique intelligimus. Quod sit vis quæ-*

*dam incorpoream, omnium bonorum causa, scimus: quomodo autem sit, nescimus. Ecce dicimus, & non intelligimus. Dixi esse ubique, & non intelligo. Dixi esse sine principio, & non intelligo. Dixi genuisse ex se ipso, & nescio quomodo rursus intelligam.* Similiter, cùm A. Heydanus adversus divinam hominum olim credituro rum præscientiam, nulli decreto innixam, inter alia scriberet in der Proeve des Remonstrātischē Catechismi op de XXXIX. vrage pag. 164. edit. Lugd. Batav. Ann. 1645. Behalven dat het na die opinie onbegrijpelick is, waerom God meer voorsien ende voorweten heeft, dat, by exempel, Petrus meer soude gelooven, als niet gelooven; Judas meer niet en soude geloven, als gelooven. Want eer Petrus geloofde, was het maer een mogelicke ende gebeurlicke sake, dat hy soude gelooven. Wat heeft die sake, die in haer selve maer mogelick ende ghebeurlick was, en indifferent so wel om niet te zijn als te wèsen, doen overgaen tot de nature van eene sake die geschieden soude, ende toekomende zijn? Episcopius ad hæc ita respondet in der Antvvort op de Proeve van de XXXIX. vrage p. 168: Dat het voor ons onbegrijpelick is, staen wy toe. Maer dat het daerom niet waar en is, en volgt niet: anders soude het oock niet waar zijn, dat God uyt niet alles geschapen heeft, dat God van eeuwigheyt den Sone heeft gegenereert, dat de dooden weder op-staen sullen &c. Want wie begrijpt die diengen?

gen? Onbegrijpelijcke dingen, die dienen konnen tot meerder eere van de Goddelijck Majesteyt, Gode toe te schrijven, is loffelijck. Hæc judicandi modestia si nunquam non sanctè in talibus observaretur, suisq; semper se finibus contineret humana ratio; nihil equidem ab hujusmodi argumentis ab absurdo metuendum foret vel periculi, vel incommodi: cum veritati veritas utiq; non sit contraria.

V. Adduntloco cit. Remonstrantes: *Quamdiu verò Vedelius istâ viâ suâ progreditur, tam diu mirum non erit, eum absurdissima quæq; tueri, & in absurditatum luto inexplicabili hærere: quin & de pace actum erit. Quisque, quod volet, decidet ex formula suâ, & absurdissimum quodque commentum palliabit supernaturalis veritatis ceromate, quod nec contra rationem esse dicet, nec secundùm rationem, sed tertium quiddam ἀκαλάλυπτον, ignorantiæ asylum & pertinaciæ κρησφύγετον.* Quid audio? Numquid ergo negare audent, inter *esse secundùm rationem*, & *esse contra rationem* dari tertium, nempe *esse supra rationem*, ita scil. ut, quod est supra rationem, nec sit secundum, nec contra rationem? Ita est. Pluribus id egerunt pag. præcedenti 332. Quem locum itidem per partes hîc expendere juvat.

VI. Verba ibidem Col. a. ita habent: *Et si propius animum advertas, idem fatetur Vedelius. Nam sic inquit: Verum quidem est, dogmata Religionis seu mysteria verbi non debere esse* (desunt hæc verba: *Contra rationem; sed exinde non sequitur, ea debere esse*) *secundum rationem, seu rationi convenientissima. Nam* (subjiciunt Remonstrantes) *secundùm rationem esse debere, nihil aliud in re ipsa est, quàm non esse debere*

*contra rationem. Atqui datur tertium, inquit Vedelius, nempe id quod est supra rationem. Ineptè. Nam supra rationem nihil aliud in formali conceptu suo dicit, quàm supra captum hominis, quia videlicet homo ad illud, antequam ipsi reveletur, ratiocinando pertingere non potest totâ ingenii sui vi, ut e.g. mortuorum suscitatio. Hanc homo capere non potest, imprimis quomodo fiat. Ad eam enim virtute opus est, quæ supra naturam est. At rectè ratiocinans non potest dicere absurdum esse, aut repugnans rectæ rationi, aut contradictionem in adjecto habere, i. e. non esse secundum rationem, si quis dicat mortuorum suscitationem futuram. Quare ineptit Vedelius in phrasi sua, cum vocat secundum rationem id, quod ratio humana vi suâ dijudicare potest, in quæstione quomodo sit aut qua ratione fiat: Nam phrasis ista, secundum rationem, negativè enunciauda est, ut proprius ejus & genuinus sensus intelligatur, quasi sit, Quod non est repugnans rectæ rationi, ita ut ratio recta demonstrare non possit nec in quæstione An sit, nec in quæstione Quomodo sit, aliquid contradictionem implicans, aut absurditatem in se continens manifestariam.* Negant itaque Remonstrantes, inter esse secundum rationem, & esse contra rationem dari tertium, nempe esse supra rationem, his ducti rationibus: 1. quod esse secundùm rationem idem prorsus sit, quod non esse contra rationem; 2. quòd quæ sunt supra rationem, eadem quoque non sint contra rationem. Sed falsum est, esse secundum rationem idem esse, quod non esse contra rationem. Quin potiùs uti esse secundùm naturam non tantùm significat non esse contra naturam, sed & esse naturæ, h. e. ordini naturæ rerumque conditioni naturali, conveniens ac consentaneum: Ita quoque esse secundùm rationem non tantum significat negativè, non esse con-

se contra rationem, sed & positivè, esse consentaneum vel conveniens rationi, h. e. principiis naturalibus rationis. Cum enim τὸ esse secundum rationem positiva sit phrasis, æquè atque τὸ esse secundum naturam; cur igitur non eodem modo positivè explicetur? cùm ut negativè tantùm explicetur, nulla vel necessitas cogat, vel ratio suadeat. Supra rationem est, quod humana ratio ex naturalibus suis principiis neq; cognoscere, neq; verumne sit, an falsum, dijudicare potest. Quòd si accedat revelatio, potest id equidem cognosci, & dijudicari à nostra ratione; verumista cognitio, idq; judicium adhuc non dependent à naturalibus rectæ rationis principiis, sed tantùm à supernaturali revelatione, in eamque velut in objectum formale unicè resolvuntur. Etquanquam, quod supra rationem est, non sit sanè contra rationem; Inde tamen nihil decedit vulgatæ distinctioni: quippe qua τὸ esse supra rationem opponitur non τῷ *non-esse*, sed τῷ *esse* contra rationem.

VII. Pergunt, probaturi phrasin istam, esse secundum rationem, negativè tantùm enunciandam: *Et hic sensus est Communis omnium Theologorum sensus. Quando enim e. g. de Trinitate, de Cœna Domini, aliisq; controversiis disputant, hoc unum agunt, ut sententiam Ecclesiarum vindicent à Contradictionibus, aut à manifestis absurdis, i.e. ab ejusmodi argumentis, quæ conclusionem habent rationi rectæ repugnantem; eò ipsô confitentes, fidem suam stare non posse, si ostendatur in ea aliquid locum habere, quod implicat contradictionem, sive quod contra rectam rationem est, i. e. quod non secundùm rectam rationem est.* Quod Theologi omnes Ecclesiarum suarum sententias vindicare studeant à talibus, quæ sunt contra rationem, in confesso est. Quòd au-

autem easdem cupiant vindicatas etiam ab iis, quæ non sunt secundùm rationem, Remonstrantium figmentum est. Dent, quæso, testes, producant è Theologis Lutheranis, Reformatis, Pontificiis, qui ita loquantur, idque sibi propositum esse testentur. Contrarium è Theologorum Scriptis luculentum est.

VIII. *Verbo concludam*: (ita porrò differunt) *Quicquid recta ratio humana falsum esse deprehendit, id nullo pacto pro vero in divinis rebus habendum est. Non potest enim eadem res simul vera & falsa esse: alioquin darentur duæ veritates sibi contrariæ. Ex eo tamen non sequitur, aut falsum esse omne istud, quod captum nostrum superat; aut omne, quod rationi consentaneum est, idcircò verum esse, etsi literis sacris adversarium sit: e.g. licere vim vi repellere, injuriam injuriâ retaliare, maledicentibus maledicere, aut saltem non benedicere, non precari præ iis &c. æquum esse, ut Dei cultores immunes sint ab afflictionibus, & omni bonorum copiâ in hoc mundo cumulentur. Alia enim veri, alia falsi ratio est. Non quicquid rationi verum aut rectum esse videtur, id propterea verum aut rectum est. Sed quicquid ratio recta apertè docet falsum esse, id non solùm in terra, sed etiam in cœlo falsum esse statuendum est.* At enim eadem prorsus, quantum ad præsens, est veri falsique ratio. Nihil judicat recta ratio esse verum, nisi quod certissimè novit esse verum: quemadmodum nihil judicat esse falsum, nisi quod certissimè novit esse falsum. Ac proinde non minùs est verum, quòd recta ratio verum esse judicat; quàm est falsum, quod recta ratio falsum esse declarat. Quòd si ratio judicet esse verum, quod verum non est, judicat falsò, & per consequens non est recta ratio, sed corrupta, sed depravata. Tum fieri non potest, ut ve-

ut verum non sit, quod recta ratio judicat esse verum; si falsum sit, quicquid recta ratio judicat esse falsum: quin potiùs nec falsum esset id omne, quod recta ratio judicat esse falsum; si aliquid verum non esset, quod recta ratio judicat esse verum. Hæc enim sunt inseparabiliter connexa, fluitque alterum ex altero. Fac aliquid verum non esse, quod recta ratio judicat esse verum; sanè tenebitur recta ratio ejus, quod verum judicavit, contradictorium judicare falsum: quia contradictoriorum, quoad veritatem & falsitatē, opposita est ratio & judicium. Contradictorium hoc, quod recta ratio judicavit esse falsum, ex Remonstrantium sententia est falsum: cùm juxta illos quicquid ratio recta docet falsum esse, id non solùm in terra, sed etiam in Cœlo falsum sit statuendum. At si hoc contradictorium reapse est falsum, fieri non potest quin alterum contradictorium, quod recta ratio judicabat verum, sit verum, quod tamen initio supponebatur non esse verum. E contradictoriis enim necessariò unum est verum, alterum falsum. Rursus si falsum esset, quod recta ratio judicat esse verum; hoc ipso neque contradictorium ejus, quod recta ratio vi naturæ cōtradictoriorum tenetur judicare esse falsum, posset esse falsum: cùm contradictoria nunquam simul falsa esse possint. Dicis: At tamen verum non est, *licere maledicentibus non benedicere*, ut ut recta ratio verum esse judicet. Resp. Intantum hoc est verum, inquantum recta ratio judicat esse verum. Jam verò recta ratio judicat id esse verum certo tantùm respectu, nempe si, prout naturâ comparatum est, consideretur: h.e. recta ratio judicat, licere maledicentibus non benedicere hujusmodi esse, quod naturâ suâ licitum seu permissum sit:

quod veriſſimum eſt. Non autem judicat recta ratio, quòd abſolutè & ita verum ſit, ut neque Deus, ſupremus rerum omnium Dominus, licentiam iſtam naturâ permiſſam poſſit lege poſitivâ tollere, & velle ac conſtituere, ne amplius liceat maledicentibus non benedicere. Etenim optimè perſpectum habet recta ratio, quæ hujus ſunt generis h.e. quæ naturâ ſuâ ſunt indifferentia, omnia à divino arbitrio ac nutu pẽdere, ut de iis decernere poſſit, quicquid fuerit viſum. Pariter autem res ſe habet cum falſis, quatenus & illa intantum ſunt falſa, inquantum ea recta ratio judicat eſſe falſa. v. g. recta ratio judicat eſſe falſum, *non licere maledicentibus non benedicere.* (nam non poteſt non hoc judicare falſum, ſi contradictorium ejus judicet eſſe verum) Atque id etiam, quatenus recta ratio falſum judicat, revera tale eſt: quamvis Deus in verbo ſuo edixerit, benedicendum eſſe maledicentibus. Neque enim hoc rectæ rationis judicium, debito modo acceptum, adverſatur divinæ conſtitutioni. Nempe recta ratio judicat falſum eſſe, non licere non benedicere maledicẽtibꝰ, non ſimpliciter, & quaſi nec Deus ita poſſit conſtituere; ſed ſi intelligatur naturâ non licere. De exemplis id genus aliis idem judicium. Quæ verò Remonſtrantes adjecerunt, nolo nunc ad vivum reſecare. Quamobrem, uti ex dictis patet, fruſtra diſtinguitur inter rectam rationem judicantem aliqua eſſe vera, & inter rectam rationem judicantem aliqua eſſe falſa, ut penes hanc ſolam credatur eſſe veritas. Etſi verò, quicquid recta ratio ex naturalibus ſuis principiis docere ac demonſtrare poteſt eſſe falſum, id omnino ſit falſum; & quicquid demonſtrare poteſt eſſe verum, pariter ſit verum: non tamen vice verſa, quicquid eſt falſum, id ſtatim re-

recta ratio ex naturalibus suis principiis demonstrare, potest esse falsum; nec quicquid est verum, recta ratio demonstrare potest esse verum, ceu supra §. III. & IV. pluribus evictum est.

IX. Tandem subjungunt Remonstrantes: *Quicquid Deus præcipit, id rectum est, etiamsi ratio humana nullam in isto præcepto per se accepto æquitatem deprehendat: sed æquitatem tamen summam etiam in præcepto quolibet, licet gravissimo, deprehendit ratio, quando æternæ vitæ promissum adjunctum videt isti præcepto. In gratiam enim tanti remuneratoris, & pro tam ingente bono consequendo, quodlibet etiam atrocissimum ferendum, & gravissimum faciendum esse, sine controversia judicat, quod alioquin ratio agendum aut ferendum esse suopte Marte non judicaret.* Imo verò novit recta ratio, Deo etiam dura & tristia præcipienti obedientiam deberi, etsi ad eam remunerandam nullo se promisso obstrinxisset; (tantùm abest, ut judicet æquum esse, ut Dei cultores immunes sint ab afflictionibus, & omni bonorum copiâ in hoc mundo cumulentur, quod paulo ante asserebant Remonstrantes; næ enim vel ea nimis aberraret à vero, vel Deus esset iniquus) nihilque mandati à Deo proficisci posse, nisi quod sit longè æquissimum, licet ista æquitas omnem ejus captum penitus fugeret, ac supergrederetur.

# CAPUT V.

## De Dogmatibus cognitu ad salutem necessariis.

## SECTIO I.

*De facilitate dogmata necessaria à non necessariis distinguendi, sententiam Remonstrantium factis eorum contrariam esse ostenditur.*

I.

Cùm dogmata Scripturæ S. generali, eâque notissimâ divisione in cognitu ad salutem necessaria & non-necessaria dispescantur; minimè ab hoc loco fuerit alienum, de utrisq; mentem ac sententias Remonstrantium exquirere. Quamobrem huic tractationi duo capita impendemus; hôc de necessariis, sequenti de non-necessariis dogmatibus acturi.

II. Dogmata ad salutem unicuique cognitu necessaria ex Scriptura S. dijudicare, & à non-necessariis discernere, cuivis etiam plebejo homini facile putant Remonstrantes. Confess. cap. I. num. 14: *Præterea eorundem librorum N. T. licet alicubi (præsertim indoctis & minùs exercitatis) satis obscuri sint, tanta est claritas ac perspicuitas, in sensibus inprimis ad æternam salutem intellectu necessariis; ut omnes lectores, non docti tantùm, sed & Idiotæ, (communi quidem sensu ac judicio præditi) quantum satis est, mentem eorum adsequi possint: modò præiudicio, vanâ confidentiâ, aliisque pravis affectibus*

*bus se occœcari non finant; sed Scripturam hanc piè ac sedulo scrutentur, & phrases Scripturæ proprias, isloque tempore, quo libri hi scripti, eôdemque adhuc vigente idiomate, clarissimas & significantissimas, familiares sibi reddere studeant: ut hi tales, inquam, omnia ad veram fidem ac pietatem pertinentia, non solùm quæ necessaria sunt, sed etiam sub ipsa necessitatis ratione, quòd scilicet & quatenus necessaria sint, ex iis abunde percipere possint; probi verò, dociles & Dei ex animo timentes re ipsâ & facillimè percipiant.* Apologia in Concluſ. p. 282. a: *Enim verò id religiosè, meditatè ac scrupulosè operam dederunt Declaratores* in Confessione, *ut omnia, quæcunque ad praxin Christianæ pietatis aut informandam aut promovendam pertinent, accuratè definirent. Inde enim necessaria æstimant, & nullo negotio à quolibet Christiano, sensu tantùm communi prædito, æstimari posse credunt.* Verus Theologus Remonstrans p. 529: *Articulos necessarios dicunt Remonstrantes tam nudè, & clarè in S. literis expressos esse debere, ut quilibet Christianus ibi illos vel ipſ̃os invenire, vel per tam palpabilem consequentiam inde deducere possit, ac si disertis verbis ibi conscripti forent; atq; ita conscripti, ut ad salutem necessarii sint. Cæteros autem articulos, de quibus Scriptura tam clarè ac nudè non testatur, quòd necessarii sint, inter illos comprehendunt articulos, qui scitu necessarii non sunt sub salutis damno, & æterni cruciatus pœna.* Confer Episcop. in Institut. Theol. p. 243. b. & p. 264. b. in de Antvvoort op de Prove van A. Heydanus p. 35. Item in de I. Prædicatie over Johan. cap. 17. vers 3. pag. 31. b.

III. Atque ita quidem illi, quando in genere, &, quod ajunt, in thesi de necessariis dogmatibus loquuntur. Ubi verò ad hypothesin ventum, & de specialium, hujus vel illius, articulorum necessitate agitur; modò miserè flu-

ctuantes, modò in diversas ac contrarias sententias discedentes, hoc ipso se haud leviter incusant.

IV. Ita videri volunt dubitare, an, Tres esse personas in una numero divina essentiâ, sit dogma creditu ad salutem necessarium, nec ne? Hinc in Vedel. Rhapsod. pag. 334. b. ad accusationem Vedelii, quòd Remonstrantes seqq. dogmata, *In una divina essentia esse tres personas, Jesum Christum esse Deum ab æterno, esse genitum ex Substantiâ Patris seu ὁμοούσιον, i. e. coëssentialem Patri, Personam Christi constare ex duabus, naturis divinâ & humanâ, Spiritum S. esse personam Deitatis, Eundem esse adorandum cultu divino,*) etsi dicant vera esse, tamen non audeant ea agnoscere pro necessariis; hunc in modum respondent: *Falsum est, quòd Remonstrantes ea nolint agnoscere pro necessariis ad salutem. Aliud est nolle, aliud non audere asserere, nec sententiam suam interponere. Remonstrantes oderunt istos audaces assertores, & damnatores in tam ardua re. Reverentia Mysterii tanti facit, ut statuere quicquam non audeant, nisi quòd certissimum est & omni exceptione majus. Et quanquam vident ista dogmata ῥητῶς in Scripturis non exstare, sed per consequentias inde deduci à multis, suspenso tamen adhuc gradu incedunt, ne quid Divinâ Majestate indignum sentiant & profiteantur; & an Consequentiæ istæ necessariæ sint, in medio relinquere malunt, quam in alterutram partem inclinare judicium, solius admirandi & supremi Numinis reverentiâ.* Confer Apologiam p. 125. a. & præcipuè Respons. ad Spec. Calumn. p. 295. Adde Poelenburg. dissertat. epistolicâ de Communione Remonstrantibus non colenda cum Contra-Remonstrantibus p. 56. & seqq. Quorsum autem hæc tergiversatio, si res tam aperta sit, ut quivis, communi tantum sensu ac judicio præditus, eam possit esse-

assequi? Mysterii reverentiam causari, prorsus hic est intempestivum. Quanquam si jacta modò citatis Apologiæ & Responsionis ad Spec. Calumn. locis fundamenta consideres, non tam dubitare, quam pro negativa parte manifesto pugnare existimandi sint. Nam priori loco Socinianos, Mysterium Trinitatis negantes, vocant *homines pios*, imò *piissimos, qui Christum & Religionem ejus ex animo amplectuntur*. Quæ sane non quadrant nisi in eos, quos omnium errorum fundamentalium puros atque integros esse persuasus sis. Quandoquidem talis error nunquam est sine gravi, & judicio Remonstrantium in Vedel. Rhapsi. p. 329. b. latissima culpâ, qualem omninò non fert vera pietas. Quin & fides dogmatum necessariorum ad pietatem disertè requiritur in Resp. ad Spec. Calumn. p. 306. b. Posteriori verò loco conceptis verbis asserunt, *Certum esse, iis qui sic errant*, (designant itidem Socinianos, Sanctissimæ Trinitatis mysterium negantes) *in Scripturis nusquam nec disertè atque in terminis, neque per manifestam consequentiam anathema dici*. Unde manifesto consequitur, dogma istud, cui se opponunt Sociniani, in Scripturis sub ipsa necessitatis ratione clarè non esse definitum, quod tamen ad dogma necessarium, ut vidimus, requirunt. Præterea in confesso est dogma, dictum mysterium exprimens, in Symbolo Apostolico non legi expressis verbis. Quidni igitur non necessarium illud judicent Remonstrantes, qui dogmata omnia, quæ ad fidem pertinent, plenè & expressis verbis in Symbolo contineri persuasum habent, de quo infra Sect. V. Adde quòd in Respons. ad Spec. Calumn. p. 301. b. Profiteantur consensum suum cum illis Patribus, quos pag. præced. 300. dicunt *in thesi judicasse, sufficere ad salutem, ut ea,*

*ut ea, quæ clarè atque apertè de mysteriis divinis traduntur in Scriptura, speciatim de Trinitatis Mysterio, ac nominatim in Baptismi formula, humili ac devota mente credantur prout jacent. Quæ verò circa illa controversiæ moventur, de quibus in Scriptura clare atque aperte nihil definitur, eas aut silentio prætereundas, nec profundius indagandas, aut solis conjecturis & probabilitatibus in iis inquirendis laborandum esse.* Hinc etiam in Apol. p. 134. a. vehementer dolent, aliis se phrasibus, quàm quæ in Scripturis exstant, usos fuisse, dum de Mysterio Trinitatis loquerentur, *Utinam*, inquiunt, Remonstrantes *in Declaratione sua, de mysterio augusto, & humano ingenio inscrutabili, non fuissent locuti, nisi lingua Spiritus Sancti! Præstitisset fortasse invidiam totius mundi sustinere, quam audacter inferre pedem in adytum divinæ Majestatis ulterius, quàm Spiritus Sanctus hominibus aperuit. Quis enim sine solicitissimo tremore, sine Spiritus Sancti manifestissimo ductu aut dictamine, de tam sublimi Majestate cogitet, loquatur, aut scribat? Ponderandæ jure sunt syllabæ ac literæ omnes, ne quid indignum ea nobis excidat; quin & balbutiendum potius est cum Sacris Scriptoribus, quàm vel imprudenter aliquid effutiendum, vel Academica cum confidentia, tanquam ex tripode, de ea pronunciandum. Quicquid de ea Spiritus Sanctus dixit, id sine periculo dici potest; quicquid non dixit, periculo falsi vix caret, & ferè semper temeritatem sapit.* Et tamen in Vero Theologo Remonstrante p. 516. non verentur scribere, se in Apologia docuisse, veram SS. Trinitatis doctrinam, quatenus ab hæreticis Antitrinitariis negatur & impugnatur, per *manifestas* consequentias ex S. Codicibus deduci posse. Integer locus ita habet: *In verbis ex Apologia allatis adeò non dicitur, quod Remonstrantes negent veram SS. Trinitatis*

*tis doctrinam, quatenus ab hæreticis Antitrinitariis negatur & impugnatur, non contineri S. literis, neque expressis loquendi modis, neque per bonam, evidentem, & necessariam consequentiam; (nullum ibi occurrit verbum, unde minima cum specie id elicias:) ut etiam apertè contrarium illis indicetur: quod scilicet non tantum non negent, sed etiam libenter concedant, quæstiones istas per manifestas consequentias ex S. Codicibus deduci posse: id solummodo significantes, quod etiamsi quæstiones istæ per manifestam consequentiam ex S. Scriptura deducerentur; tamen non audeant cum plena animi certitudine asserere, propterea istas quæstiones præcisè ad salutem esse necessarias, eo modo, ut qui istas vel non intelligat, vel ex animo iis non assentiatur, ea de causa æternum damnatum iri statuerent.*

V. Dissensionem verò Remonstrantium inter se invicem de quorundam articulorum necessitate, ab edita Confessione exortam, luculentè produnt Acta Synodi d. 26. Maij 1604. à Remonstrantibus habitæ, quorum caput tertium in latinam linguam conversum post Censuram Præfationis exhibent D. D. Leydenses. Initium ejus ita habet: *Quandoquidem mutua tolerantia, uti quoque libertas prophetandi, res sit à Remonstrantibus maximi semper habita momenti, diversisque ab ipsis scriptis ac libris commendata ac defensa: atque etiam nunc sit res propria Remonstrantibus, quâ ab omnibus aliis in tota Christianitate præcisis sectis discernuntur: sitque insuper singulare medium, quod secundùm primarium ipsorum scopum unicè faciat ad penitiorem in sancta veritate institutionem, simulque etiam ad diminuendas & pacificandas diversas, quæ inter Christianos sunt, sectas: evenire tamen videmus, (quamvis in Confessione nostra, & in ejusdem cum Præfatione, tum Conclusione eâ de re satis prolixè sit actum) ut quidam pu-*

*tent, nonnullos hanc rem nimis arctis limitibus restringere, nimisque paucis comprehendere articulis, adeo ut hac ratione ex Societate nostra eos putent novam nimisque præcisam, (quales sunt reliquæ omnes) constituere sectam: alii contra existiment nimis laxos poni limites, quibus janua aperiatur ad articulos quoslibet nimium scandalosos licentiosè propugnandos, non sine magna simplicium confusione & incertitudine, etiam in multis eisque præcipuis Religionis Christianæ dogmatibus: unde nihil aliud expectandum videtur, quàm schisma, distractio & interitus nostræ societatis & bonæ causæ; præterquam quod adversarii nostri inde occasionem sint sumpturi de nostris dissensionibus, cum bonæ nostræ sacrosanctæ veritatis causæ detrimento, multùm declamandi: consultum fuit judicatum, tam hâc de re, quàm de ministrorum vita, peculiare caput seu titulum statuere, hisque actis inserere, & ad præcavenda qualibet mala paulò pressius & distinctiùs ea, quæ in Confessione, ejusque Præfatione & Conclusione ingenere sunt proposita, considerare & constituere.* Quæ cum Remonstrantibus à D.D. Leydensibus in censura Præfat. objicerentur, illi ita respondent in Apologia pag. 115. a: *Neque verò ad rem facit, quod invidiosè Remonstrantibus Censor objicit, Inter eos non convenire adhuc de paucorum istorum necessariorum numero ac specie. Nam posito quòd id omnino esset, idque ex actis istis, quæ censuræ suæ præfixit censor, clare posset evinci;* (positò, ajunt, quasi res non satis esset evidens) *quis nescit in tanta judiciorum imbecillitate & diversitate, quanta in humanis rebus locum habet, inprimis apud eos, quorum alii præjudicia sua inveterata dudum atque inolita, alii recens &, uti fit, magno affectu hausta atque imbibita secum adferunt, accidere aliquando posse, ut controversia & lis oriatur inter optimos quosque, de rebus, quæ alioquin per se sunt facillimæ decisionis? Convitium*

*facit:*

*facit mortalitati, qui istam imperfectionem nostram calumniatur. Sæpe acutissimam mentis aciem nimius pietatis zelus adeo obtundit, ut quicquid aliquam necessitatis aut magnæ utilitatis speciem præ se fert, præcise necessarium creditu esse sibi persuadeat, ne pietatis limitem transgrediatur, aut alium transgredi doceat: Contra non rarò magnæ commiserationis æstus extendit, porrigitque limitem libertatis Christianæ ulterius, quàm par est. Affectus hi sunt, in quos humana infirmitas in medio bonæ conscientiæ studio, Deo ita permittente, aliquando incidit, idque non sinè acri contentione & victoriæ studio. Sed rarò diu durant affectus isti, & simul atque evanuerunt, statim sententiæ animig levi momento arctissimè iterum coëunt, ac conglutinantur. Ut ut verò extra culpam non sint, qui affectibus istis abripi se sinunt: tamen dubitandum non est, quin Clementissimus Deus culpam istam propitius condonaturus sit, eâ solum de causâ, quòd affectus istos proficisci sciat ex puro puto bonæ conscientiæ studio, à quo procul absunt livor, odium, & nocendi aliis propositum. Tantum valere credimus apud miseratorem generis humani pium affectum, & innoxium veritatis studium, ut, quæ iis aliquando ex infirmitate nostra accidunt vitia, in computum & rationem venire nolit.* Gravem culpam dicere debuissent, quod imperfectionem & infirmitatem appellant, siquidem Confessioni suæ inhærere voluissent. Nam si omnes lectores, non docti tantùm sed & Idiotæ, (communi quidem sensu ac judicio præditi) non solùm quæ necessaria sunt, sed sub ipsa necessitatis ratione, quòd scil. & quatenus necessaria sint, è libris N. T. abunde percipere possint; probi autem, dociles, & Dei ex animo timentes re ipsâ & facillimè percipiant, ceu supra in Confessione loquentes audivimus; an non inde consequitur, qui ista non percipiunt, probos, dociles & Dei ex animo timentes non esse? VI.

VI. Rectius itaque, & ad hæc convenientiùs Auctor Præfat. in Conciones Episcopii ad Johann. cap. 17. v. 3. pag. 12. difficultatem necessaria à non-necessariis secernendi agnoscens: Het rechte Poinct van de middel-maet en baen (in 't verklaren of dit en dat poinct onder de nootsackelicke moet worden gestelt, ende in 't setten de palen van de verdraegsaemheyt,) is dickwils seer qualick te treffen. Et pag. 5: Om de scheuringen te heylen, moet men komen tot die poincten in 't bysonder, en in 't verhandelen van deselve verklaren, of dit en dat poinct onder de nootsakelicke moet worden gestelt, dan oft op de lijste van de verdragelicke mach staen. In der waerheyt, de uytsprake over desse sake schijnt swaer te zijn: 't welcke dan eenige seer geleerde Mannen, en die van een net en gesont oordeel zijn, en daer en boven groote vrienden van den vrede der Kercke, so swaer hebben gewogen, dat sy niet hebben durven of willen noemen de poincten, die of nootsakelijck, of niet-noodtsakelijck zijn, maer haer vergenoegt dit voor regel te stellen, dat men simpelijck geloove, dat de Shrifture Godts Woort is, en also geloove alles wat daer in is geopenbaert. Want dat geloovende sal men ô twijfelick alle nootsakelicke Poincté gelooven. Hinc & Arnoldus Pœlenburg Epistolâ Refutatoria libri VIII. Summæ Controvers. Hoornbeckii, pag. 40. init: *Ut quis necessitatem à veritate discernat, eamque*

*que justè ponderet, magnâ non modò prudentiâ, sed etiam eximiâ charitate opus est.*

## SECTIO II.

### *Circa Descriptionem necessariorum dogmatum, à Remonstrantibus traditam, aliqua monentur.*

I.

HUcusque versati sumus in præliminaribus. Ut igitur ad rem ipsam veniamus, quænam sint Remonstrantibus dogmata necessaria præcisè talia, (ea enim, quæ aliàs quoque fundamentalia appellant, mentione dogmatum necessariorum designant, uti videre est ex Confess. cap. I. num. 13. Apologiâ pag. 114. a. Vedel Rhapsod. pag. 341. Episcop. Defens. Catechismi adversus Heydanum ad quæst. 8. 9. 10. pag. 34. 35. &c. in qua significatione & nos in progressu ferè istis vocibus utemur) seu quomodo ab illis describantur, quibusque indiciis cognoscenda proponantur, inquirendum est. In Confessione, loco jam citato, ad necessarias cultus seu Religionis Christianæ partes respicientes, indeq; necessaria dogmata æstimantes, scribunt: *Necessaria ad salutem* dogmata *ea tantùm intelligimus, sine quibus fieri nullo modo potest, ut quis vel præceptis Jesu Christi rectè &, prout oportet, obediat; vel divinis ejusdem promissis firmiter confidat: quæque proinde talia sunt, ut sine manifesta hominis culpâ negari, ignorari, aut in dubium vocari nequeant:* hoc ipso supponentes, duabus istis partibus, obedientiâ præceptorum Jesu Christi, fideque ejusdem promissorum, partes omnes Christianæ Religionis præcisè necessarias comprehendi. In Apologiam verò præfati, p. 100. b. addunt tertiam, nempe debitam

bitam Scripturis reverentiam, hiſce verbis: *Neceſſaria dogmata voco, quæ ex officio, nobis in Evangelio Jeſu Chriſti præſcripto, neceſſariò tenenda ac facienda ſunt, ut æternæ ſalutis participes evadamus;* (Dicendum fuiſſet: Neceſſaria dogmata voco, quibus comprehenduntur & proponuntur ea, quæ ex officio &c. Dogmata enim non ſunt, ſed proponunt & præſcribunt facienda) *quæ tribus his comprehendo, fide divinorum promiſſorum, obedientiâ divinorum præceptorum, & debitâ Scripturis, quibus, præter promiſſa ac præcepta, alia omnia divina oracula atque enunciata continentur, reverentiâ.* In quæ verba, veluti commētans, Epiſcopius in de I. Prædicat. over Johan. cap. 17. vers 3. pag. 27. ſcribit: Waer in dat nu den dienſt de eere ende gehoorſaemheyt Godts en Jeſu Chriſti beſtaet, dat wordt het geheele Jaer door uwe Andacht gheleert-Ick ſtelle het in deſe drie Dingen. I. In 't gheloove en vertrouwen op Godes en Jeſu Chriſti beloften, die deſe drie Zijn. (1.) Vergevinge der Sonden. (2.) Mededeelinghe ſijnes Geeſtes, om te konnen beſtaen 't allen tijden, inſonderheydt in tentatien, cruys en lijden, ſieckten en doodtsnoodt, alſmen beſtaet en daer in volhardt. (3.) In verzegelinghe van ſijne gunſte, en beveſtiginge van de hope die wy op hem hebben, en van een weder-opweckinghe uyt den dooden, en ſchenckinge des Salighen levens in den Hemel te ghenieten. II. in de gehoorſaemheydt van de Geboden, die ons gegeven zijn in den Evangelio Jeſu Chriſti, ſoo die Godt en Chriſtum

stum, als die ons en onsen even-naesten aengaen. III. In een eerbiedigehe erkenteniſſe van Godes Heylige Woordt, aendachtigh betrachten en neerſtigh onderſoecken, of leſen en hooren van het ſelvighe, om in geloove en gehoerſamheydt dagelijcks geſterckt te worden, ende meer ende meer toe te nemen.

II. Cur verò, cùm neceſſariæ Religionis Chriſtianæ partes recenſentur, fit tantùm mentio fidei promiſſorum, omiſsâ fide ſeu aſſenſu reliquorum credendorum? Poteſtne, hoc negato, ſalva eſſe Religio Chriſtiana? Annon etiam neceſſaria eſt fides, quâ comminationib9 divinis aſſentimur? *Summa Religionis continetur obedientiæ præceptis, præmiorum promiſſis, & pœnarum minis*, ait Apologia pag. 150. b. *Nihil ad ſalutem æternam obtinendum ſcitu & creditu præcisè eſt neceſſarium, niſi absque eo fides promiſſis & comminationibus divinis haberi, aut obedientia mandatis præſtari non poſsit*, ait Curcellæus Præfat. in Volum. 1. Oper. Epiſc. p. 14. Numquid præterea nihil de natura ac attributis Dei, nihil de conditione ac ſtatu hominis, creditu præcisè ad ſalutem neceſſarium eſt? Si dicant, fidem credendorum comprehenſam eſſe ſub obedientiâ præceptorum; cur ergo non & fidem promiſſorum retulerunt ad obedientiam præceptorum? Quo ſenſu Confeſſ. cap. X. init: *Voluntas Dei, quam à nobis præſtari vult, ut æternam ſalutem per Chriſtum conſequamur, plenè continetur præceptis Jeſu Chriſti.* Et Auctor Præfat. in Conc. Epiſcop. ſuper Joann. XVII, 3. pag. 7: De rechte Religie voor Godt den Vader beſtaet in de practijcque, of in 't houden van de Geboden Godts.

SE-

## SECTIO III.

*Ad alia, distinctius cognoscendæ Remonstrantium de necessariis dogmatibus sententiæ inservientia, sit progressus, eorumq; primum ex Apologia proponitur: Necessaria omnia apud omnes, qui se Christianos dici postulant, in confesso esse; imo ne quidem posse ab iis vocari in controversiam.*

I.

ADhuc non nisi generalissima fuere, quæ sect. præced. me impeditum tenebant, atque occupatum. Progrediendum ad alia, è quibus Remonstrantium, de dogmatibus præcisè necessariis, sententia distinctiùs atque intimiùs pateſcat. Quorum quidem præcipua hâc & seqq. duabus sectionibus complectemur.

II. Primum est, quòd Remonstrantes necessaria omnia apud omnes, qui se Christianos dici postulant, in confesso esse; imo ne quidem à quoquam eorum in controversiam vocari posse, in Apologia statuant: Quanquam cùm hoc nomine urgentur, seque eluctari non posse perspectum habent, nihil reveriti tot locorum, quibus id affirmârunt, claram lucem, negant ac pernegant se ita statuisse, eaque de re acerrimè cum Vedelio contendunt.

III. Quòd necessaria omnia apud omnes Christianos, vulgò sic dictos, in confesso sint, locus exstat clarissimus pag. 114. Apologiæ, ubi paulo post adductas in confirmationem sententiæ suæ, de necessariorum dogmatum paucitate, Jacobi Acontii, Serenissimi quondam Magnæ Britanniæ Regis, Jacobi, & Petri Molinæi autoritates, hæc subjunguntur verba: *Qui pauca necessaria esse docent, ij opus*

*pus non habent necessariorum illorum numerum, & necessitatis istius rationem solicitè aliis exponere. Pauci reperiuntur in Christiano orbe, quibus non ex æquo, ut Rex ait, ista probantur. At qui, præter pauca ista, alia adhuc multò plura scitu ac creditu necessaria esse asserunt, iis declarandi ac probandi onus incumbit. Affirmantium est probare: Negantibus sufficit, si dicant se non videre, unde aut quomodo, præter pauca ista, quæ apud omnes in confesso sunt, alia plura adhuc necessaria esse, ostendi aut elici possit.* Scilicet hîc non contenti cum Rege affirmasse, paucos esse quibus necessaria non probentur; mox haud paulo longius progrediuntur, & apud Omnes necessaria in confesso esse, h. e. Nullos esse, quibus necessaria non probentur, subjiciunt. Nam si præter pauca ista, quæ apud omnes in confesso sunt, alia plura non sunt necessaria, quod clarè & totidem penè verbis dicunt Remonstrantes; quomodo jam necessaria non apud omnes sunt in cõfesso? Nihil planius certiusque, & tamen in Vedel. Rhapſ. p. 336. b. negant se ita docuisse. Nam cum Vedelii objectionem proposuissent his verbis: *At hoc non convenit cum sententia Remonstrantium, inquit Vedelius. Nam quæ apud omnes in confesso sunt, de illis controversia non potest esse. At necessaria apud omnes in confesso sunt*; Respondent: *Minor hæc non est Remonstrantium.* Confer pag. 341. Frontem eos perfricuisse oportet, cùm hæc scriberent. Etenim hanc Minorem esse Remonstrantium, ex adducto Apologiæ loco sole clariùs liquet, ceu vidimus. Quid itaque respondent ad istum locum? Ne verbum: qui enim possent? Sed alio dilabuntur, & vagantur extra oleas. *Aliud enim est*, pergunt cit. pag. 336. *dogmata necessaria in Scripturis tam clara esse, ut palpari ab omnibus possint ac debeant: Aliud, omnes ea sic palpare.*

*pare. Ad clarissima etiam claudi oculus potest in ipsa meridie. Sana mens adsit necesse est, & liber animus. Si enim præjudicium, affectus, aut voluntas menti pessulum obdant, non videbit homo etiam quæ ante pedes posita sunt: imo si vel Solem manu tua portes. Christus ipse, quanquam ea dicebat & faciebat, quæ convincere Judæos omnes poterant, quòd ex Deo esset; tamen reprobatus est ab iis ut seductor, ut turbo publicæ pacis, & ipsius Beelzebubi, principis Dæmoniorum, amicus & socius. Et ipsi Apostoli, licet toti Spiritu Sancto perfusi, nihilominus tamen rejecti, & omni contumeliarum genere vexati sunt.* Nihil hæc faciunt ad vindicandum Apologiæ locum: sed apertè potiùs illi contradicunt. Vox palpari ibidem planè non occurrit: Itaque discrimen inter palpari, & palpari posse huc non pertinet. Neque Minorem istam, Necessaria sunt apud omnes in confesso, falsam esse; (id enim non negat Vedelius:) sed eam dicto loco non esse Remonstrantium, ostendendum erat.

IV. Porro Necessaria apud omnes in confesso esse, statuit Apologia omnibus illis locis, quibus dogmata necessaria, vel clarè in Verbo Dei definita, (qualia sunt omnia, quæ exre & vero necessaria nuncupantur) controversis opponit ac contradistinguit. Qui enim dogmata necessaria opponit controversis, is eo ipso necessaria dogmata negat esse controversa. Quæ autem non sunt controversa, ea apud omnes in confesso esse palam est. Sic pag. 111. b. *Ut in necessariis*, inquit, *& quæ aperti juris sunt, nimis parum est si dicatur, Nos hoc credimus verum esse; Asseverantiùs loquendum est: Hoc credendum est, Anathema qui id non credit: Ita in iis, quæ controversi juris sunt, nimium dicitur: Hoc credendum constanter firmiterque est.* Et pag. 273. b: *Quò ipso libertas*

*bertas plenaria* inquirendi *terminis verbi divini circumscripta manet, adeo ut ulterius porrigi non possit, quàm ad ea, quæ ex scripto Dei verbo, quoad ejus sensus & consequentias, in controversiam aut vocantur, aut vocari possunt. Ea itaque quæ in verbo Dei clarè ac perspicuè decisa ac definita sunt, semper excepta esse vult Declaratio.* Quid ad hæc Remonstrantes?

V. Nempe quando à Vedelio illis objicitur, quòd docuerint, Nulla dogmata, quæ inter Christianos controversa sunt, necessaria esse; (1.) assertioni isti quandam restrictionem intexentes, Respondent, se per controversa dogmata non alia intelligere, quàm quæ idcirco controversa sunt, quòd ea nec ῥητῶς, nec per evidentem omnibusque obviam (h. e. juxta eorum explicationem, quæ ab omnibus cognosci possit,) consequentiam in Scriptura continentur. Vedelius Rhapsod. pag. 316: *Docent primò, inquit Vedelius, Nulla dogmata quæ inter Christianos controversa sunt, necessaria ad salutem esse. Fidem tuam Vedeli! Controversa dogmata intelligunt Remonstrantes, non alia, quàm quæ idcirco controversa sunt, quòd ea nec ῥητῶς, nec per evidentem omnibusque obviam consequentiam in Scriptura contineantur, cujusmodi tu necessaria esse posse asseris. Et manifesta ratio est. Si enim ea quæ idcirco controvertuntur, quòd nec ῥητῶς, nec per evidentem & omnibus obviam consequentiam Scripturis contineantur, necessaria tamen scitu ac creditu sunt: tum statuendum est Deum voluisse, omnibus ac singulis scitu ac creditu necessaria esse etiam ea, quæ omnibus ac singulis nec ῥητῶς, nec per evidentem consequentiam constare potest necessaria esse. Annon hoc est sapientiæ, bonitati & æquitati divinæ injurium? Deinde si ista etiam necessaria sunt, quæ ratio dabitur necessitatis, quâ conscientiæ omnium ac singulorum infallibiliter convincentur? Nam*

*si consequentia iis non est evidens, sed vel probabilis, vel verisimilis; convictio fieri non poterat. Conclusio enim sequitur præmissas. At convictio ista non est nisi topica convictio, quæ valere non debet, nec sufficit, ubi de æterna salute & damnatione agitur. Hoc primum est.* Verùm frustra hîc fidem requirunt à Vedelio, quasi restrictionem quandam omiserit: cùm nunquam in scriptis suis eam adhibuerint, antequam in Vedelium calamum stringerent; sed semper absolutè & sine limitatione fuerint locuti. Neque profectò talis est ista restrictio, ut cujusvis intellectus, prout naturaliter fertur super illa verba, quæ cum restrictione intelligi volunt, proprio marte eam suppleat. Experiētia id abunde testatur. Quin ipsos Remonstrantes in libro suo, cui Vedelii Rhapsodi titulum fecerunt, non satis constanter de restrictione illa loqui, non absre observat Vedelius in Arcanis Arminianismi part. IV. lib. I. cap. VIII. pag. 69. Nam interdum, inquit, dicunt se loquutos fuisse de iis controversis, quæ controversa sunt idcirco, *quia ipsa non apertè continentur in Scriptura*, ut loco citato: interdum dicunt, quæ controversa sunt idcirco, quia eorum necessitas non apertè in Scriptura est expressa, ut pag. 329. b. & pag. 341. a. Op. Episc. Interdum quæ idcirco controversa sunt, quia eorum *seu veritas seu necessitas* non apertè in Scriptura est decisa, ut p. 354. b. Quæ certè, ait Vedelius, à se invicem non parùm differunt, ut unusquisque videt. Nam ut aliud est necessitas, aliud veritas; ita aliud est dicere, veritatem non esse expressam alicujus dogmatis in Scriptura, aliud necessitatem, aliud denique seu necessitatem seu veritatem ejus non esse expressam in Scriptura. Rationes annexæ tantùm eò tendunt, ut probent, dogmata controversa, quæ idcirco

sunt

sunt controversa, quòd nec ῥητῶς, nec per necessariam consequentiam in Scriptura contineantur, non esse necessaria: non verò probant, Remonstrantes, dum nulla dogmata inter Christianos controversa ad salutem necessaria esse absolutè affirmarunt, per controversa dogmata non nisi istiusmodi dogmata controversa, qualia jam diximus, intellexisse, quod solum hic in quæstionem venit, eratque probandum.

VI. 2. Ut tanto magis ab ista sententia videantur aversi, non minùs ῥητῶς, quam per evidentem consequentiam in Scripturis contenta dogmata quædam necessaria à quibusdam, qui Religionem Christi profitentur, in controversiam vocari asserunt: idque aliquot exemplis confirmatum eunt, sic simul quasi ipso facto Vedelium refutaturi. Ita enim pergunt p. 336. post verba supra allegato: *Alterum est: Tantum abest, ut Remonstrantes credant, nulla controversa dogmata esse necessaria ad salutem; ut contra credant, etiam ea quæ tum ῥητῶς, tum per consequentiam omnibus obviam S. Scriptura continentur, in controversiam vocari posse, hodieq; vocari à quibusdam, qui Christi religionem profitentur. e.g. An idololatria sit, si quis imaginem Dei aut Sanctorum formet, & coram ea se incurvet, genua flectat, eam adoret, eique supplicia ac vota sua faciat? Hoc enim ῥητῶς in Decalogo vetitum est, adeò clarè, ut palpari possit. An Idololatria sit, id, quod sensibus omnibus palpari potest non esse nisi merum panem, adorare atque invocare tanquam ipsum Christum, Deum ac hominem? Enim verò per evidentem & omnibus obviam consequentiam concludi potest indubitato, id non esse Deum, nec adorandum, quod sensus omnes docent esse creaturam vilissimam, id est, inanimatam, insensibilem, irrationalem, adeoque nil nisi moli-*

*molitam & subactam farinam. Item, An opera bona necessaria sint ad salutem, necessitate seu efficientiæ, seu præsentiæ? utrumque enim à quibusdam controvertitur. At quid clarius aut evidentius in Scriptura totâ esse potest, quàm quod sine operibus bonis salvari non possumus? Τὸ ῥητὸν adeò manifestum est in Sacris, ut Scriptura non modò asserat, In Christo non valere nisi novam creaturam & observationem mandatorum, sine sanctimonia nos non visuros Dominum; sed etiam nos ex operibus justificari, & non ex fide tantùm, & nobis non remissum iri peccata nostra, nisi remittamus aliis peccata eorum. Consequentiâ opus non est, ubi tot sunt clara & sole evidentiora verba. Item, an liceat errantes homines, quamvis vitæ sint probæ, pœnis corporalibus, adeoque morte etiam crudelissima afficere? Hoc enim κατὰ τὸ ῥητὸν directè repugnat legi Christi Regiæ, quâ caritatem proximi adeò severè sancivit, ut inimicis etiam benefacere, & pro fratribus (à perditione æterna liberandis) animam nos ponere jusserit. Similia plura sunt.* Confer p. 341. a. & 354. b. Nimis longè abduceremur à Scopo, si ad immixtas speciales materias descendere, & καθ' ἀλήθειαν hic omnia persequi vellemus. Quamobrem quantum ad propositum satis est, duntaxat, monebimus, & alteram κατ' ἄνθρωπον disputandi viam insistemus. Quamvis igitur, dogmata quædam controversa se pro necessariis habere, hîc operosè suscipiant probandum; inde tamen non efficitur, in Apologia locis cit. contrarium non fuisse assertum. Non n. profectò alienũ ab illis est, quòd pro re nata, & uti in præsens exusu videtur, calamum attemperent, alibi dictorum securi. Cujus rei sicuti in superioribus jam aliquot specimina dedimus, & in sequentibus plenâ manu admotiemur; ita & hic ipse locus plura uno, eaque satis manifesta suppeditat. VII.

VII. Assertio principalis est: Etiam ea dogmata necessaria, quæ tum ῥητῶς, tum per Consequentiam omnibus obviam S. Scripturâ continentur, in controversiam vocari posse, hodieque vocari à quibusdam, qui Christi Religionem profitentur. Contra disertè Apologia de dogmatibus ῥητῶς in Scriptura contentis, p. 125. a. *Fieri posse, ut, quæ ῥητῶς in Scripturis exstant,* (quibus opponit ea, quæ evidenti collectione ex Scripturis deducuntur,) *vel negentur, vel in dubium vocentur ab eo, qui Christianus videri vult, & Religionem Christi profitetur, prorsus absurdum est.* Quomodo, quæso, expressius potuisset contradici ab adversario? Similiter, de sensibus ῥητῶς in Scriptura contentis, & per propria verba expressis, loquens, Vedel. Rhapsodus p. 382. a: *Quam falsum est, quod Vedelius ait, omnes Scripturæ locos ab hæreticis depravatos fuisse, aut depravari posse, sub prætextu obscuritatis, aut quod varios & retrusiores sensus admittant? Id enim de sensibus istis, quos verba immediatè, & quidem nulla figura aut tropo vestita, præ se ferunt, falsissimum est.* Confer pag. 377. a.

VIII. Dogmatum necessariorum controversorum exempla quod attinet, *Primum* est, Idololatriam esse, imaginem Dei aut Sanctorum adorare, eique supplicia ac vota facere; *Alterum*, Idololatriam esse, panem eucharisticum adorare atque invocare. Verùm utriusque dogmatis necessitati adversatur fundamentum pag. 357. a. ejusd. Scripti jactum, quo statuitur, nullam opinionem, ex qua per se fluere possit Idololatria, quenquam damnare, nisi cum actu ipso Idololatriæ conjunctam. Unde consequitur, nullum dogma præcisè consideratum, quod hujusmodi opinioni est oppositum, esse dogma cognitu ad salutem præ-

præciſè neceſſarium. *Opinio*, inquiunt, *ex qua Idololatria fluere poteſt*, (h. e. uti in præced. exponunt, quæ ad actus idololatricos gignendos in animis hominum apta atque idonea eſt) *neminem damnabit, niſi ea eum idololatram reddat. Actus enim Idololatriæ, ſive idololatria nos dicitur excludere ex regno cœlorum.* Quod latius diducit Epiſcopius in de II. Prædic. over Johan. Cap. 17. verſ. 3. p. 43. Yemant ſal my moghelijck vragen: hoe dat wy hebben konnen de broederſchap preſenteeren, ende de onderlinghe verdraeghſamheydt aen-bieden die luyden, die Godt tot een Autheur der ſonden maecken? Ick antwoorde: om gheen andere oorſaeck, als om dat ſy ſulcks lochenden en ontkenden: Waert dat ſy 't rondt uyt gheſeydt en bekent hadden, wy ſouden qualijck ghedaen hebben, dat wy haer hadden willen verdraghen in ſulcke eene openbare laſteringhe. (Si aperta eſt blaſphemia, dicere Deum eſſe auctorem peccati, cur ergo §. præced. Maer genomen &c. benè ſe ſperare ait de eo, Ick ſegghe dat ick van ſulck een het beſte hoope, qui, etſi credat Deum eſſe auctorem peccati, nihilominus tamen ſimul peccata à Deo vetari credens, hanc ob cauſam iis abſtinet? Et quomodo malè fuiſſent facturi Remonſtrantes, ſi eos tolerâſſent, de quibus benè ſe ſperare, modò dicentem audivimus Epiſcopium? Sed hoc obiter.) 't Is nochtans klaer, ſult ghy ſeggen, dat het uyt haer leere en ſegghen volght. 't Is waer, ick houde het ſoo klaer als den dagh, dat het uyt

uyt haer leere en segghen volght. 't Is waer, ick houde het so klaer als den Dagh, dat het uyt haer leere volght: maer om dat sy het evenwel ontkennen, soo moet men houden, dat sy haer eygen leere of niet en ghelooven, of niet en verstaen. Ghy sult seggen, is dat genoegh, so moeten dan oock de Papisten gheduldet worden in hare Afgoderije; want sy ontkennen mede, dat sy Afgoden dienars zijn. Ick antwoorde: dit en volgt gheensins: het onderscheyt is te groot, want dat segghen van onse partijen en is niet meer als van een bloote opinie: maer dat segghen van de Papisten is van een daedt van Godts-dienst, die gedaen wordt. Waert dat die van 't Pausdom alleen een opinie hadden, die valsch was, ende dat de verbodene plompe daedt van Afgoderije selve daer niet by en quam; dan souten se ghelijck staen met de anderen. En dat mot eens wel ghevat worden. Opinien en mis-verstanden konnen der in veele dinghen zijn, ende die spruyten, ofte moeten gehouden worden te spruyten meestendeel uyt swackheydt en ghebreck van Verstandt: maer als by die opinien komen daden, die expresselijck en notoirlijck van Godt verboden zijn op straffe van de eeuwige doodt, dan soo worden die opinië verdoemelijcke opinien, en darmen gheen ghemeenschap mede mach hebben. By exempel, yemant soude een

opinie konnen hebben, dat de goede wercken niet noodigh en zijn. 't Soude een quade opinie zijn: maer evenwel als die opinie hem niet en beweeght so verre, dat hy quade wercken doet, en goede nae-laet: jae dat hy, niet teghenstaende die opinie, 't quaedt laet en haet, en goedt doet, soo en sal die bloote opinie hem niet verdoemelijk of strafbaer maken: want die opinie iis een tecken van een kleyn verstant, ofte gebreck in 't oordeel. Maer de daedt is een werck van de Wille, en die is verdoemelijck, al spruyt se uyt een ghebreckelijck oordeel. Item, yemant soude mogen een opinie hebben, dat men ongehouden is Magistraten te gehoorsamen: maer evenwel teghen die opinie de Magistraten sorgvuldiglijck gehoorsamen, houw en ghetrouw zijn, schot en lot gheven. Die opinie en soude hem niet strafbar maken, ten ware da hy die anderen leerende, anderen beweegde tot ongehoorsaemheydt. Quæ uti necessitatem primi & secundi supra dictorum dogmatum, de idololatrica imaginum, ac panis eucharistici adoratione, penitùs convellunt; ita pariter ejus, quod quarto loco in exemplum controversi dogmatis necessarii allatum est, videl. Non licere hæreticos pœnis corporalibus, ipsaq; morte afficere, reclamant necessitati. Nam si solus Idololatriæ actus, nullaque falsa circa istum actum opinio, in se considerata, damnat; expeditum est, solum quoque hæreticidii actum, nullamque falsam circa istum actum opinionem, in se consi-

sideratam, esse damnabilem. Par enim utrobique est ratio. Quanquam (ut hoc addamus in cumulum) neque de ipsis actibus adorandi imagines & panem eucharisticum inter Remonstrantes convenit, quòd idololatrici, aut alioquin præcise damnabiles sint. Negat id non obscurè Grotius in Discussione Apologetici Rivetiani pag. 79.80. & alibi: itemque Curcellæus Præfat. in Volum. I. Op. Episc. pag. 14. fin. & 15. etsi sibi contrarius in Epistola ad Adrianum Patium, quæ exstat pag. 858. & seqq. Operis Epistolarum Ecclesiasticarum & Theologicarum, impressi Amstelodami Ann. 1660. Pœlenburgius in Dissertatione epistolica de non colenda Remonstrantibus communione cum Contra Remonstrantibus pag. 37. scribit: se nolle de plebis Pontificiæ, imagines & panem eucharisticum adorantis, salute prorsus desperare, quoniam hos sua fortasse simplicitas excusabit: Ideoque pro his rectè Deum orare veriorem Christi Ecclesiam, Domine remitte eis, nesciunt enim quid faciant. Cui quis haud immerito memoriam refricaret argumenti, quo pag. 66. 67. Contra Remonstrantes impetit, quòd è Remonstrantibus oves tantum, non autem Pastores tolerandos censeant.

IX. Restat *tertium* exemplum dogmatis controversi necessarii, Bona Opera esse ad salutem necessaria necessitate præsentiæ. Sed & hoc dogma negant esse necessarium in Resp. ad Spec. Cal. pag. 302. a. Docent enim ibidem, errorem illi oppositum (quem tamen etiam pag. 366. Vedel. Rhapsodi conceptis verbis hæresin, sive errorem fundamentalem vocant) cum amore Dei & Christi, adeoque cum fide dogmatum necessariorum, quippe quâ istum niti ajunt, consistere posse. *De errore*, inquiunt, *circa veritatem, quæ ad praxin ordinata est, sive quæ ad pietatem utilis est, du-*

*bium à quibusdam movetur, sed sine causa: utilis enim veritas per se necessaria non est scitu aut creditu ad salutem. Ignorantia itaque veritatis illius, aut error circa eam consistere potest cum fide necessariæ veritatis, ac proinde etiam cum amore atque obedientia Dei & Christi, quæ necessariâ veritate nituntur. Quin imo, si quis rem rectè putet, usque adeo verum & certum est hoc axioma,* (Errantes posse Deum & Christum amare, & nec obedientia nec fide carere) *ut error aliquando, qui circa veritatem ipsam practicam est, locum habere possit in eo, qui Deum & Christum amat, non quidem ex natura rei, sive quòd error iste per se noxius, adeoque pietati contrarius non sit; sed quia contingit, ut is, in quo error iste est, ad veritatem practicam exercendam aliis rationibus moveatur, aut moveri se sinat, absque hoc ut consideret aut perspiciat, errorem istum cum rationibus istis connecti non posse. Ita potest quis errorem istum errare, ut credat bona opera non esse necessaria ad salutem, nec necessitate præsentiæ, nec necessitate efficientiæ; item, Deum non tantùm bona omnia, sed mala etiam occultâ virtute efficere in nobis, aliaque, & ut nihilominus tamen bonis operibus serio studeat, & peccata omnia solicite vitet ac fugiat, non minùs, quam si crederet bona Opera ad salutem necessaria esse, & peccata omnia non Dei, sed nostra propria opera esse. Nimirum bona præcipi, mala vetari legit à Deo: quomodo autem præcepta illa cum ista Dei operatione consistere possint, in eo concipiendo errat; & quanquam bona opera non esse necessaria ad salutem credit, æquum tamen esse, ut illa faciat, persuasum sibi habere vult, atque idcirco à malo abstinet, & pietatis officiis serio invigilat.* Confer locum Episcopii proximè allegatum. Sic itaque patet, è quatuor istis dogmatum necessariorum controversorum exemplis ne unum quidem esse, cujus non alibi labefactent, infringantque necessitatem.

X. His

X. His recensitis, addunt: *Similia plura sunt.* At quænam illa? Operæ pretium fuisset adscribi. An dogma de Prædestinatione, oppositum hæreticæ Calvini sententiæ, quam vocant Apol. pag. 135. a, quamque in Confess. cap. V. num. 7. confutârant, animo concipiebant? Aſt contrarium professi sunt innumeris penè locis, quibus tolerantiam Reformatis in controversiis quinquarticulanis offerunt. *Profitentur ubique Remonstrantes mutuam tolerantiam colere velle cum iis, qui sententiam istam de prædestinatione tenent, & qui vicissim ipsos tolerare parati sunt*, sunt verba Resp. ad Spec. Cal. pag. 291. a. Sub qua sententia istam quoque comprehensam esse, qua statuitur Deum absoluta voluntate maximam generis humani partem, planè innoxiam, æternis cruciatibus gehennæ destinasse, destinatamque necessitati peccandi adstrinxisse, sequens pag. 292. a, ubi blasphemæ consequētiæ ex repetita Reformatorum doctrina, de absoluta Reprobatione, deducuntur, clarè testatur. Conf. pag. 298. a. Sed non est, ut his porrò immoremur. Videsis tamen infra Sectionem nostram V. §. 1. ubi Bartholomæum Prævostium producimus affirmantem, Remonstrantes, cum de aliquo ad suam communionem admittendo agitur, in sola catholicæ fidei (quæ Symbolo Apostolico comprehenditur) confessione, & vitæ ad Christi mandata componendæ professione acquiescere, nihil præterea in conscientiam ejus inquirentes. Annon hoc novo argumento est, eos statuere, omnia dogmata necessaria apud omnes, qui se Christianos dici postulant, in confesso esse: cùm ipsi in Apologia symbolum Apostolicum formulam vocent, in quam consentit totus Christianismus, h. e. omnes Christiani vulgo sic dicti; horumque

præterea nullus sit, qui vitæ ad mandata Christi componendæ professionem detrectet?

XI. Ceterum non modò necessaria apud omnes Christianos in Confesso esse, juxta Apologiæ sententiam, sed & non posse in controversiam vocari à Christianis, docet idem ille locus, quem supra §. 4. ex pag 273. allegavimus. *Quo ipso libertas plenaria* inquirendi *terminis verbi divini circumscripta manet, adeo ut ulterius porrigi non possit, quam ad ea, quæ ex scripto Dei verbo, quoad ejus sensus & consequentias, in controversiam aut vocantur, aut vocari possunt. Ea itaque, quæ in verbo Dei clarè ac perspicuè decisa ac definita sunt, semper excepta esse vult Declaratio.* Ubi tam quæ in controversiam vocantur, quàm quæ vocari possunt, iis, quæ in verbo Dei clarè ac perspicuè decisa ac definita sunt, qualia sunt omnia dogmata cognitu ad salutem necessaria, opponuntur. Quibus gemina extant pag. 249. Apol. b. ubi ita scribunt: *Est, inquit Censor, ubi libertas est aliter atque aliter sentiendi, sed id non universim. Quasi verò quisquam sit, qui libertatem hanc extendi velit in infinitum usque. De hæreticis quæritur, non qui ea, quæ in Scripturis decisa sunt, convellere audent, sed qui ea quæ cõtroversa sunt, aut controverti possunt, in dubium vocant.* Pergunt: *Nemo unquam hæreticus fuit, qui in dubium vocavit, An fures, ebriosi, raptores, convitiatores, avari, idololatræ, &c. vitæ æternæ hæreditatem sint consecuturi: An Deus diligendus sit supra omnia: An proximo sit faciendum, quod ipsi nobis fieri cupimus, & similia. Hæc enim tam manifesta sunt in Scripturis, ut negari non possint ab eo, qui Christianus esse vult, aut cui sanum sinciput est. Qui ea negare audet aut in controversiam vocare, is eo ipso hæreticus non est; sed hæretico multo deterior, imo profanus, & Religionis Christianæ contemptor*

*ptor. At, quæ extra manifesta ista sunt, interpretationes aliorum Scripturæ sensuum, ea ad libertatem prophetandi pertinent, & cum Scripturæ Deique reverentia maxima conjuncta sunt.* En, hîc diserte dicitur, quæ in Scripturis (clarè puta) decisa sunt, tam manifesta esse in Scripturis, ut negari non possint ab eo qui Christianus esse vult, aut cui sanum sinciput est. Quid clarius dici poterat? Etenim de necessariis, iisque in genere sermonem esse Remonstrantibus, ex antithesi, *At quæ extra manifesta ista sunt interpretationes* &c. abunde liquet: Neque enim dubitationes de sensibus necessariis ad libertatem prophetandi, quæ cum Scripturæ, Deique maxima reverentia conjuncta sit, dixerint pertinere.

## Sectio IV.

*Expenditur alterum, de tolerandis iis, qui intra Scripturæ phrases & locutiones se velint continere: simulque Curcellæus, negans necessarium esse, ut non-scriptis vocibus utamur ad detegendos hæreticos, qui sub Scripturæ verbis se occultant, refellitur. Sensus locorum Iohann. XVII, 3. & XX, 31. illustratur, fidemque, hujus illiusve generalibus duntaxat verbis adhibitam, non sufficere ad salutem, ostenditur contra Episcopium.*

I.

SECUNDO docent Remonstrantes, Nemini, citra schismatis crimen, circa ullum dogma Religionis Christianæ fra-

fraternam tolerantiam negari posse, qui intrâ Scripturæ phrases & locutiones se continere paratus sit. Ita enim loquuntur in Vedel. Rhapsi. pag. 362. sub fin. *Hæc eadem est sententia Remonstrantium, quam tribus conclusionibus comprehendo.* (I.) *Unam eandemque rem variis phrasibus & locutionibus exprimi posse.* (II.) *Nemini vitio verti debere, si unam eandemque rem phrasibus exprimat inusitatis quidem, sed quas commodiores & magis idoneas judicat.* (III.) *Ne tamen inde λογομαχίαι & altercationes oriantur, tutissimum esse stare & se continere intra Scripturæ Sacræ locutiones, & Spiritus Sancti formulas, neque cuique molestiam creari debere, qui intra eas continere se paratum esse ostendit; eosque, qui aliter agunt, & istâ locutione non sunt contenti, schismatum ac dissidiorum omnium in Ecclesia autores esse.* Et supra pag. 360. & seq: *At Synodus ipsa & pro se non decidit, inquit Vedelius, sed Deus antea litem in verbo suo decidit. Atqui si Deus decidit, cur decisioni isti non acquiescitur? cur non tolerantur, qui isti decisioni acquiescere parati sunt? an verbum Dei non sufficit ad controversiæ decisionem? an satis clarum non est? Si utrumque, quid decisione novâ opus est? Si neutra, quorsum decisio? & quomodo decisio in verbo Dei facta est? At Ecclesia tanquam testis & interpres verbi Dei decisionem factam in verbo promit. Atqui inquam ego, quomodo testis est, si testimonium interpretatur? Testis non est interpretari, sed referre quod dictum est ex vero & bona fide. Interpretatio est sententiæ dictio, non decisio: & cum falli possit interpretatio, quomodo ea decisio est? Denique, cum verbum Dei sensum sic expresserit, ut interpretatione opus habeat, cur non relinquitur sua cuique libera interpretatio? An existimamus verba nostra clariora esse, quàm ipsum verbum Dei? Injuriam facimus atrocem verbo Dei, si id credimus. Quanto rectius & satius*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522933/phys_0128
DFG

*us faceremus, si pacem & concordiam aleremus, contenti utrimque ista decisione quæ in verbo Dei facta est, & relinquentes suam cuique interpretationem liberam.*

II. Atqui hanc assertionem tueri qui velit, duo falsissima ponere necessum habet, nempe (1.) phrases & locutiones Scripturæ Sacræ adeo claras esse, ut in hæreticum sensum rapi & detorqueri non possint. (2.) Nullum dogma esse necessarium, quod non ῥητῶς & expressis verbis in Scripturis contineatur. Nam si alterutrum fieri posse credatur, quomodo simpliciter omnibus iis promitti queat tolerantia, qui intra Scripturæ S. locutiones continere se paratos esse ostendunt? cùm metuendum utique sit, ne tales vel sub verbis Scripturæ errorem fundamentalem foveant; vel in fide dogmatum necessariorum, per consequentiam e Scripturis deductorum, deficiant: quorum si quid contingat, tolerantiæ locum non esse fatentur ipsimet Remonstrantes. *Cum illis enim, qui errant in necessariis, communionem se colere posse bona conscientia ubique negant*, sunt verba eorum in Vedel. Rhapsod. pag. 354. b. Et mox, *Sufficit*, inquiunt, *ad hoc, ut quis communionem* (communionem & tolerantiam pro iisdem accipiunt, ut videre est ex init. col. b.) *cum aliqua secta colere non possit, si credat & persuasus sit à sua parte, dogmata illa necessaria, propter quorum negationem communio coli non potest, in Scriptura extare vel κατὰ τὸ ῥητὸν, vel τῷ ῥητῷ æquivalentem consequentiam, quam nempe is, qui dogmata ista negat, scire & facilè potest, & necessariò debet evidentem & sole clariorem esse, etiamsi fieri possit, ut eam vel videre & scire non possit, affectibus suis excœcatus; vel videre nolit, alia quavis, sed nobis incognitâ causa impeditus.* Utrumque autem eorum, quæ poni debere diximus, ut falsum esse de-

monstretur, nec longâ, nec difficili probatione opus est.

III. Prius tot seculorum experientia refellit. Tertullianus de Præscriptionibus adversus hæreticos: *Scripturas obtendunt* (hæretici,) *& hac sua audacia statim quosdam movent; in ipso verò congressu firmos quidem fatigant, infirmos capiunt, medios cum scrupulo dimittunt.* Hilarius lib. II. de Trinitate: *De intelligentia hæresis, non de Scriptura est: & sensus, non sermo sit crimen.* Augustinus: *Non aliunde natæ sunt hæreses & quædam dogmata perversitatis, illaqueantia animas, & in profundum præcipitantia, nisi dum Scripturæ bonæ intelliguntur non benè, & quod in eis non benè intelligitur, temere & audacter asseritur.* Et Remonstrantes, *quin multa sint in Scripturis clara, quæ Satanas versipellis & veterator in alium sensum detorquere potest, & non semel detorsit, dubium non esse,* agnoscunt in Vedel. Rhapsod. p. 378. b. Posteriori contradicunt Remonstrantes in Apol. pag. 125. a. *Eo ipso*, ajunt, *significant* Remonstrantes, *inter necessaria etiam censenda esse ea, quæ fieri potest ut, qui Christianus videri vult, & Religionem Christi profitetur, neget & in dubium vocet. At fieri posse, ut quæ ῥητῶς in Scripturis exstant, vel negentur, vel in dubium vocentur ab eo, qui Christianus videri vult, & religionem Christi profitetur, prorsus absurdum est.* Si autem, qui Christianus videri vult, & Religionē Christi profitetur, non potest in dubium vocare quæ ῥητῶς in Scripturis exstant, & tamen potest in dubium vocare quædam necessaria; evidens est, quædam secundùm Remonstrantes esse necessaria, quæ non exstant ῥητῶς in Scripturis. Contradicunt item omnibus illis locis, quibus dogmata necessaria vel ῥητῶς, vel per manifestam consequentiam Scripturis contineri tradunt. E tanto numero duo tantùm dabimus. Apologia

gia pag. 112. b: *Consilium dederunt* Remonstrantes, *quod orbi Christiano profuturum crediderunt, atque etiamnum credunt, contra humanæ autoritatis tyrannidem: ut non nisi præcisè necessaria, quæ vel ῥητῶς in Scripturis decisa sunt, vel per consequentiam sole clariorem talia esse constat, credantur, adserantur serio, constanter, firmiter, cum anathemate Maranatha.* Vedel. Rhapsod. pag. 341. b. *Negationem* dogmatum necessariorum *aliam non intelligimus, quàm eam, qua directè negantur ea, quæ vel clarè in S. Scripturis enunciata sunt: v. g. Deum creasse cœlum & terram, Deum providentia sua regere mundum, & judicaturum aliquando unumquemque secundum opera ejus &c: Vel quæ per evidentem & omnibus obviam consequentiam ex Scriptura eliciuntur, v. g. incestum esse opus carnis, quia inter opera carnis manifesta non recensetur ab Apostolo ad Gal. cap. 5.* Sic itaque, collapsis binis illis hypothesibus, mole sua ruit, quæ iis innititur, initio hujus sectionis proposita Remonstrantium assertio.

IV. Argumentum de S. Scripturæ perspicuitate, quod in illius confirmationem adducitur, nihil probat. Non detrahimus perspicuitati Scripturæ Sacræ, ubi formulis & locutionibus Scripturæ, dogmata necessaria complectentibus, non simpliciter acquiescimus, cùm de ineunda in rebus fidei fraterna tolerantiâ agitur; sed genuinum earundem sensum simul urgemus: tum demum detracturi, si quid amplius desideraremus in eo, qui intra istas Scripturæ formulas, vero & à Spiritu S. intento sensu acceptas, se continere paratus sit. Neque enim decisioni in Verbo factæ acquiescere is quidem videri debet, qui, verba decisionis retinens, sensui ejusdē refragatur. *Non in verbis Scripturarum est Evangelium*, inquit Hieronymus in cap. I. Epist. ad

Gal. *sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Et in Dialogo Orthodoxi & Luciferiani: *Ne sibi blandiantur* (nempe hæretici,) *si de Scripturarum capitibus videntur sibi affirmare, quod dicunt: cum & diabolus de Scripturis aliqua fit locutus, & Scripturæ non in legendo consistant, sed in intelligendo.* Eundem in modum Athanasius Epistolâ de Synodis Arimini & Seleuciæ habitis: *Nihil id refert, si quis voces in Scriptura non repertas usurpet, quamdiu pias sententias complectitur. Contra hæreticus, tametsi voces suas è S. literis mutuetur, nihilominus suspectus omninoque corruptus audiat à Spiritu Sancto: Quare tu enarras justificationes meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Ita quoque diabolo, è Scripturis loquenti, os à Domino obturatum est.* Sint sanè Scripturæ verba in dogmatibus cognitu ad salutem necessariis clarissima, ita ut sensus per ea à Spiritu S. intentus à quovis etiam indocto, modò sibi ipsi non ponat obicem, abunde queat intelligi, adeoque verbis aliis hactenus non sit opus: Quid verò, si quis præjudicio aut affectibus obnubilatâ, & propemodum excœcatâ ratione, aut aliâ quavis, nobis fortè incognitâ, causâ impeditus, sensum aliquem necessarium, claris verbis expressum, illorum verborum sensum esse agnoscere vel non possit, vel non velit; adeoque ad assentiendum illi sensui necessario adigi se nullo modo patiatur? Tum sanè nudorum verborum & formularum Scripturæ professioni minimè est acquiescendum: sed potiùs is, qui negat sensum aliquem necessarium, adstringendus ad alias formulas, quæ ipsi negatum à se sensum (necessarium) videantur exprimere, eâ conditione & lege, ut, nisi istas formulas receperit, fraternâ tolerantiâ indignus habeatur. Audiant modò Remonstrantes se ipsos præfat. in-

in Confess. suam pag. 70. scribentes: *Interea quamvis præcisè necessariæ non sint hujusmodi* (Confessionum seu declarationum) *formulæ, non tamen idcirco etiam inutiles, adeoque illicitæ & noxiæ censendæ sunt. Etenim si inutiles non sunt, imo si certo respectu interdum necessariæ sunt prophetiæ, sive Scripturarum interpretationes, quas in Academiis & Ecclesiis Doctores & Pastores singuli proponunt, aut quæ alioquin in cœtibus Christianorum fiunt, cum Scripturarum sensus ad ignorantes erudiendos, errantes in viam rectam reducendos, hæsitantes sublevandos, contradicentes redarguendos, quantum fieri potest, familiaribus & claris, atque etiam extra τὸ ῥητὸν S. Scripturæ usitatis formulis loquendi declarant & illustrant; utique non potest jure meritò inutile videri, nedum illicitum aut noxium, si plures Ministri Jesu Christi consentientibus suffragiis, conjunctis studiis atque operis, ad majorem divinæ veritatis illustrationem, calumniarum depulsionem, plurimorum ædificationem, aliosque sanctos ac pios fines, sententiam suam super iisdem Scripturarum sensibus, idque certis ac conceptis formulis, publicitus pandant atque aperiant. Quinimo si rem procul omni affectu ac præjudicio rectè putabimus, comperiemus ea posse incidere tempora, quibus non utiles tantùm, sed benè necessariæ Declarationes hujusmodi videri debeant. Etenim si fœdi & crassi errores, Religioni Christianæ ac pietati noxii, sæculum nostrum occupent; si necessaria fidei capita negligantur, aut non nisi obiter curentur, non necessaria autem veluti necessaria sollicitè inculcentur, utilia item à necessariis dogmatis non, prout oportet, discernantur, humanis denique commentis conscientiæ hominum adstringantur, & falsissima quæque placita Scripturarum verbis ac phrasibus pallientur, necessitas profectò imponitur Christianis omnibus ac singulis, maximè Ecclesiæ Pastoribus, ut qua ratione tot tantisque malis occurrere possint, se-*

*rio inter se cogitent ac deliberent; &, si cœcos ac miseros illos mortales divinorum sensuum clariore, quàm quæ antea facta est, propositione atque elucidatione, veluti facula aliqua in tenebris accensa, utiliter ac prudenter juvari posse videant, in eo unanimiter, & juncta quasi manu consentiant ac conspirent, ut sensus illos divinos formulis quibusdam, jam olim utiliter receptis & familiaribus, declarent, & ob oculos iis ponant, si fortè istarum auxilio errantes ex profunda ista caligine liberari, & in rectam æternæ salutis viam deduci possint.*

V. Ex dictis simul patet, frustra esse Curcællæum, Dissertationum adversus Sam. Maresium Imâ §. 36. negantem *necesse esse, non-scriptis vocibus uti ad detegendos hæreticos, qui sub Scripturæ verbis se occultant, & interim verum illius sensum corrumpunt & abnegant*, his rationibus: quia *I. Nullus à nobis pro hæretico est habendus, qui se religiosè illa, quæ claris verbis in Scriptura docentur, amplecti profitetur: etiamsi in obscurorum aliquot locorum intelligentiâ nobis hallucinari videtur. Eo ipso enim quod omnia illa, quæ clara sunt, credit, jam in via salutis est; nec propterea, quod in obscurioribus nonnullis fortè erret, ideo statim hæreticus est pronunciandus. II.* Quia *voces istæ à Conciliis & Doctoribus Ecclesiasticis excogitatæ, non possunt, absque Spiritus Sancti ignominia, commodiores existimari ad hæreticos convincendos, aut ex suis latebris protrahendos, iis, quæ apud Sacros, quos inspiravit, Scriptores inveniuntur.* Quod ad I. attinet, id si præcisè ratione eorum dogmatum necessariorum, quæ ῥητῶς in Scripturis exstant, intelligatur, verum est; sin absolutè, & ratione omnium dogmatum necessariorum, falsum. Nam & qui dogma necessarium non ῥητῶς, sed per consequentiam in Scriptura contentum negat, hæreticus est.

Sed

Sed quicquid sit, hæc ratio nihil evincit. Nam etsi ratione dogmatum necessariorum, ῥητῶς in Scripturis exstantium, nemo sit reputandus pro hæretico, qui religiosè ea, quæ claris verbis in Scriptura docentur, amplectitur; hoc tamen non facit ad rem præsentem. Hîc enim tantùm quæritur de hæreticis, qui sub Scripturæ verbis se occultant, h. e. de iis, qui religiosè illa, quæ claris verbis in Scriptura docentur, non amplectuntur, etsi verba Scripturæ retineant; annon, ut illi in lucem protrahantur, verbis non scriptis uti necessum sit? Atque hoc est, quod affirmamus, & ipsa luce clarius esse existimamus. Nam ut solâ ope verborum Scripturæ detegatur hæreticus, quando se occultat sub verbis Scripturæ, h. e. quando hæresin suam idoneis & claris verbis non exprimit, sed nil nisi phrases & formulas Scripturæ loquitur, alienum interim & hæreticum sensum sub formulis illis in pectore fovens, id quidem penitus impossibile est. Non igitur II. cum ignominia Spiritus Sancti conjunctum videri debet; si hactenus voces non-scriptæ, (de his enim in genere hic loquimur) sensus necessarios ea parte, quâ hæreticus tergiversatur, expressius & distinctius repræsentantes, non tantùm commodiores, sed & necessariæ judicentur: nisi quis exprobrare velit Spiritui Sancto, quòd non ejusmodi vocibus dogmata necessaria consignari curaverit, sub quibus occultari hæretici sensus nequeant.

VI. Quemadmodum autem Remonstrantes in genere affirmant, neminem fraternâ tolerantiâ & Communione excludendum, qui intra Scripturæ locutiones se velit continere; ita Episcopius, in de Antvvoort op de Proeve van de Remonstrantsche Catechismus op de 1. vrage pag.

pag. 7. speciatim de loco Joh. XVII, 3. quin &, si rectè consideres, de Vers. 31. cap. XX. pronunciat, neminem damnandum esse, qui generalia duntaxat sive hujus, sive istius loci verba firmiter credit. Cum enim Heydanus descriptionem Religionis Christianæ, quam initium Catechismi Remonstrantium exhibet, inter alia eo nomine pag. 4. reprehendisset, quòd nimis lata esset, omniumq; hæreticorum sectis applicari possit, his verbis: Die beschrijvinge wat nauer considererende, ende met haer oogemerck vergelijckende, sal men bevinden, dat sy van wegen hare generaelheyt met rechten verdacht is, ende enen mantel, die alle Secten, hoe Kettersch sy oock souden moghen zijn, haer toepassen konnen. Alle die maer den naem van Christenen draghen, hoe verre sy oock in het fondament van de waerheydt selve mochten afgheweken zijn, Socinianen, Arrianen, Mennoniten, &c. konnen haer na dese beschrijvinghe toe-meten, dat haren Godts-dienst is de Christelicke Religie, door welckers onderhoudinghe sy haer des eeuwigen levens mogen versekeren: dewijle sy met geen eenigh woort uytgesloten worden. &c. Respondet Episcopius loc. cit. Eerstelijck, dese Proeve en past niet op dese Remonstrantsche beschrijvinge, maer op de Schrifture en het Evangelium Jesu Christi selve, daer uyt de beschrijvinge genomen is. want Joan. XVII, 3. staet

uyt-

uyt-druckelijck dese selvige beschrijvinge, en noch vry wat generaelder en ruymer: Dit is het eeuwige leven, dat is, Dit is de Religie, het middel en den weg om tot het eeuwige leven te konnen geraecken, dat sy u kennen, O Vader, den eenigen waerachtigen God, en die gy gesonden hebt Jesum Christum. En Joan. XX, 31. noch ruymer: Dese dinge zijn geschreven, op dat gy gelooft, dat Jesus is die Christus, die Sone Gods; en op dat gy geloovende (sulckx) het eeuwige leven hebt door sijn Naem. Aldus generael beschrijft ons de H. Geest de Christelijcke Religie. Segt my nu eens Proever, op dat ick u met uwe eygene worden betale: Ister wel eenige Secte onder de genaemde Christenen, hoe Kettersch die oock soude mogen zijn, die dese beschrijvinge haer niet toe passen en kan? Is hier in dese plaetsen der Schriftuyre wel een eenig woort, met het welcke de Socinianen, Arianen, Mennoniten &c. uytgesloten worden? Gaet nu, kont gy sonder schaemte en schrijck, en segt dat de Scriftuyre, ja de beschrijvinge, die Jesus Christus selve van sijne Religie gemaeckt heeft, een mantel is voor alle Secten, hoe verre sy oock in het fondament van de waerheyt souden mogen afgeweken zijn. Segt gy, de Schriftuyre maeckt wel dese generale beschrijvinge,

vinge, maer de moet nu breeder uyt gebreyt worden tegen die Ketters, die nae der hant in-gekomen zijn; So segge ick, dat wy uw' en uwes gelijcken dat gaerne laten doen: doch siet wel toe, dat gy niet en verdoemt, noch ter Hellen en wijst die gene, die vastelijck gelooven dese generale worden Jesu Christi, ende daer in bekennen het eeuwige leven te bestaen. Kont gy so klaerlijck betoonen uyt de Schriftuyre, ofte uyt eenige Schriftuyr-plaetse, dat het eeuwige leven ontseyt wort den genen, die dat vastelijck gelooven, ende daer sy niet en konnen gelooven 't geene gy segt, dat daer-en-boven gelooft moet worden, gelijck de worden Jesu Christi klaerlijck mede brengen, dat die sulcx gelooven, het eeuwige Leven hebben sullen: gy sult uwe conscientie dan quijten, en wy sullen vol-mondig met u 't selvige mede belijden.

VII. Inconsideratissimæ plena temeritatis assertio: cui ipse passim contradicit Episcopius. Disertè in de II. Prædicatie over Joan. cap. 17. vers. 3. pag. 37. 38. De Christelijcke Religie is al te edel, te eenvoudig, en al te onnoosel, dan dat sy in die poincten, die precijs noodigh zijn gheweten ter Saligheydt, niet soude klaer gaen. Godt is te goeden en wijsen Godt, dan dat hy een Religie soude voorschrijven, van de welcke men niet

niet weten kan, wat-se in heeft. De alderschlechtste en onervarenste moetse soo licht vatten, als de aldergheleertste: want hy heeft so een kostelijcke ziele, als de aldergeleertste. 't Blyckt. De Heer Jesus vervat se in dese weynighe Woorden, die wy voorleden reyse uwe Aendacht hebben aenghevangen te verklaren uyt Joan. cap. 17. vers. 3. Mogelijck sult ghy seggen: 't is waer, de Woorden Christi legghen daer, en sijn kort; maer ghy behelpt u met die Woorden niet alleen, maer met den sin, die ghy daer op maeckt: Andere behelpen haer ter contrarie met die Woorden door den sin, die sy daer op maecken. Ick stae dat toe: 't moet so gaen: 't kan niet anders gaen: maer let hier alleen op. Alle het behulp, dat wy nemen, is sulcks, dat het niet en bestaet in yet nieuws, yet selsaems, ende yet subtijls voort te brengen: maer alleen hier in, dat wy in ghedachte brenghen het geene, dat de rechte reden, ende de H. Schriftuyre so naecktelijck leeren, dat eenen, die by sijn sinnen alleen is, ende den dwers ofte averechten wegh alleen niet in en will, Wanner hy 't maer hoort, sonder moeyten kan begrypen, ende de Waerheydt daer van terstondt verstaen.— Ons præsup propoost is dan, dat Godt ghe-eert, ghedient en gehoorsaemt

moet Worden: ende dat sulcken dienst, eere en gehoorsaemheydt, gaende met den dienst en eere Jesu Christi, den rechten en eenigen Wegh is, om tot het eeuwighe Leven te kommen. Daer uyt volght noot-saeckelijck, dat dan vry wat meer, als wy tot noch toe gheseydt hebben, van Godt geweten en ghekent moet worden; te weten, alle sulcks, als den Naeme ofte den hooghen tijtel Godes mede brenght—Atque hujusmodi necessaria dogmata, quæ ῥητῶς non exstant Joann. XVII, 3 per singulas conciones ex professo tradi videas. Conf. omnino Institut. lib. IV. sect. I. cap. XI. cujus titulus est: *Summa doctrinæ fidei ad salutem æternam consequendam necessariæ, quæ Sacris Novi Fœderis libris plenè & perfectè continetur.* Tum & in de Antvvoort op de Prœve pag. 9, Responsione ult. ad supradictam Heydani Objectionem, in eo præcipuè Christianam Religionē consistere, ut credatur Jesum Christum esse mediatorem Dei & hominum; & pag. 38. in Deum Patrem, Filium & Spiritum S. necessario credendum esse judicat Episcopius; quorum tamen neutrum Joan. XVII, 3. disertis verbis exprimitur.

VIII. Nempe ut breviter dicam, quod res est, Joann. XVII, 3. & XX, 31. non agitur de fide creditu ad salutem necessariorum in genere, & in omni sua latitudine: sed præcisè de fide, quæ & quatenus est causa justificationis nostræ & salutis æternæ, pro objecto habens meritum Christi, ejusque obedientiam tam activam, quàm passivam; & gratiam Dei in Christo, (quæ in illa tanquam effectus, aut fructus sæpe relinquitur subintelligenda) ad consequendam remis-

remissionem peccatorum & vitam æternam: adeoque de notitia seu assensu fiduciali: Vid. Joann. III, 36. VI, 40. 47. Act. X, 43 XVI, 31. Rom. III, 22. 25. 26: quomodo etiam vox cognitionis accipitur Esa. LIII, 11. Ubi tamen sicut cognitio peccatorum ac contritio prævia, & propositum melioris vitæ cum fide justificante inseparabiliter connexum; ita & fides circa objecta alia tanquam conditio ad remissionem peccatorum, & vitam æternam consequendam necessaria requiritur: etsi nihil horum causæ munus exerceat. Neque, quod ad fidem attinet, de qua Johannes, sufficit generalibus istis verbis inhærere, neglectis sensibus specialibus, qui sub iis comprehenduntur: aliàs nec credere oporteret in Christum, ut pro peccatis nostris mortuum, & ut unum illum mediatorem Dei & hominum; (quod est contra manifesta & notissima Scripturæ testimonia) quia hæc per verba ista generalia expresè non significantur. Dum autem Episcopius viam salutis dupliciter ex Johanne describit, generaliter primò ex cap. XVII, 3. & deinde adhuc generaliùs ex cap. XX, 31. atque ad salutem sufficere docet, si id tantùm credatur, quod posteriori descriptione exprimitur: quid aliud agit, quàm ut contra Scripturam duplicem nobis viam proponat, brevem unam, & compendiariam; alteram adhuc breviorem: quarum utraque ducat ad salutem?

---

## SECTIO V.

*Tertium, quòd expressis verbis Symboli Apostolici plenè contineantur omnia necessaria, ad fidem pertinentia, discutitur. Tres ultimos Symboli istius articulos in non necessariis habet Episcopius. Remonstrantes negant, Resurrectionem mortuorum esse creditu ad salutem necessariam.*

I.

TERTIO docent Remonstrantes, Symbolum Apostolicum, quod vocamus, plenè & expressis verbis complecti omnia dogmata necessaria, quæ ad Fidem pertinent, non tantùm quæ sunt puræ & meræ fidei, h. e. quæ ex sola revelatione innotescunt, sed & quæ non sunt puræ & meræ fidei, sive ad quorum cognitionem ratio humana vi luminis naturæ assurgere valet; hinc nihil desiderantes in eo, qui ad ipsorum communionem cupiat admitti, præter nudam istius symboli, scil. prout jacet, (quâ notione in Apologia quoque vox symboli accipitur, quando id pag. 128. formula vocatur, in quam universus consentit Christianismus, seu quotquot dici volunt Christiani,) & vitæ ad Christi mandata componendæ professionem. Ita Bartholomæus Prævostius, Amstelodamensis Remonstrantium Ecclesiæ quondam Concionator, in Conc. super Psalm. CXXII. citante & approbante Curcellæo in Præfat. Vol. I. Oper. Episc. p. 21: *Optandum ergo foret, (ut ego quidem sentio) ut qui publica templa & munera occupant, in sua Confessione, doctrina, caremoniis, aliisque, se intra primorum Christianorum & Apostolorum simplicitatem ac generalitatem continerent, qui una concione*

*ne aliquot hominum millia ad Christi fidem adduxerunt; aut duodecim illis Catholicæ fidei articulis, Symbolo Apostolico comprehensis, hoc est paucis admodum, & paucis ceremoniis, contenti essent, & in aliorum conscientias dominium non usurparent, adeo ut omnes absque animi offensione publicos illos cœtus frequentare, & ibi inter se Eucharistiam celebrare possent. Decisiones enim divisiones pariunt, & quò plures fiunt decisiones, eò plures inde oriuntur divisiones & schismata* — Et paulo post sub fin. cit. pag. & sequenti: *Sed quia nondum eadem omnibus mens est, ut id communi consensu in praxin revocari possit; nos interea in plerisque Bataviæ locis, singulari Magistratuum nostrorum benignitate & clementia (quo nomine ipsis, sed in primis Deo summopere sumus devincti) conscientiis nostris satisfaciendi libertatem tandem adepti, illud ad communem omnium Christianorum, & præcipuè eorum qui à Papatu secesserunt, solamque Scripturam S. pro fidei regula agnoscunt, unionem & reconciliationem, quantum in nobis est, observare studemus. Quamvis enim nostram de plerisque Religionis Christianæ capitibus sententiam copiosè in nostrâ Confessione & aliis scriptis declaraverimus, neminem tamen ulterius illi alligamus, quam quatenus eam cum Sacris literis convenire agnoscit: & cum de aliquo ad nostram communionem admittendo agitur, in sola Catholicæ fidei confessione, & vitæ ad Christi mandata componendæ professione, acquiescimus, nihil præterea in ejus conscientiam inquirentes. Et ad istam declarationem baptismum iis, qui ad nos accedunt, administramus, eosque ad Sacram Synaxin nobiscum celebrandam recipimus. Sententiam quidem nostram de aliis rebus fidei in concionibus aperimus, & defendimus; sed non idcirco eos, qui ab illa dissident, cõdemnamus, aut à nostra communione arcemus: verùm cogitantes fieri posse, ut ij, quos in errore versari putamus, sanius nobis sentiant, æquanimiter*

*miter eos toleramus, sicut & nos ab ipsis tolerari cupimus. Istud Ecclesiam vere Catholicam constituit; utpote quæ illis solis tanquam necessariis dogmatibus adhæreat, quæ ab omnibus Christianis semper & ubique pro veris sunt agnita. Quisquis talia confitetur, genuinus ejus est membrum, & noster in Christo frater: dummodo ab Idololatria, tyrannide in conscientias, & profanis moribus purum se conservet. Hoc observamus, & à nemine quicquam præterea, nec in fide, nec in ceremoniis, nec in regimine ecclesiastico, exigimus. Et ut hæc nostra mens & praxis nullum, qui ad cœtus nostros accedit, lateat, & perpetuo inter nos observetur; id in omnibus nostris concionibus repetimus & inculcamus: Parati, quando animadvertimus alios quoque ejusmodi Ecclesiam, & ita pacis studiosam erigere velle, cum illa communionem colere: Optantes & orantes, ut universus Christianus orbis tandem aliquando ad ejusmodi compositam mentem redeat, & religionem non in multis decisionibus, ceremoniis & similibus constituat, sed potius in multis bonis operibus, vera pietate, charitate non ficta, & mutua ignorantiarum, quibus omnes obnoxii sumus, tolerantia.* Supra pag. 14. dixerat Curcellæus: *Summa* eorum, quæ à Remonstrantibus adeo copiosè scripta sunt de mutua tolerantia, *huc redit: Cum Christiani in præcipuis & fundamentalibus Religionis dogmatibus inter se consentiant, eum, qui superest in aliis minoris momẽti, dissensum impedire non debere, quò minus in unum Ecclesiæ corpus coëant, & se ut fratres mutua in Christo charitate prosequantur: Si modò, qui ista magni æstimant, cæteros diversum sentientes ad ea suscipienda non cogant. Hæc enim est tyrannis in Ecclesia non ferenda: cujus quirei sunt, fundamentum evertere, & fraternitatis vinculum abrumpere censendi sunt. Quod etiam de Idololatris intellectum volo. Omnes autem in fundamento convenire inde liquet, quod nulla sit inter*

*Chri-*

*Christianos Secta, quæ Articulos fidei, Symbolo Apostolico contentos, non amplectatur, & vitam ad præcepta Christi de moribus componendam esse non statuat. Quibus duobus capitibus universa Religio Christiana comprehenditur.* Similiter Auctor Præfat. in Conc. Episcopii super Joan. XVII, 3. pag. 9. init: De eerste Christenheyt na de tijden, ja, so veele meynen, in de tijden der Apostolen, heft daer voorgehouden, dat, so veel 't geloof angaet, alle poincten in twaelf Articulen begrepen zijn, de welcke ook daerom van outs af tot nu toe genoemt zijn geweest Symbolum Apostolicum, om dat daer in t'samen is ghebracht uyt de Schrifture een summe van alles, wat wy hebben te gelooven, ende dat het is ghelijck een leuse, livreye ende kentecken, waer by de recht-geloovige van de ongeloovige, of die 't rechte geloof niet belyden, te onderscheyden zijn. Dat is immers 't oude Catholijcke of algemeene Geloof. Daer waren de outste mede te vreden over al: Waerom wy niet?

II. Enim verò si quis mediocri diligentia fundamentalium fidei articulorum rationem ineat, oppido deprehendet, non omnes disertè, sed quosdam tantùm virtualiter, atque alios quidem magis, alios minùs implicitè Symbolo Apostolico contineri. Ita expressis verbis non exstat in symbolo, Justificari nos gratis, gratiâ & Misericordiâ Dei; Jesum Christum pro peccatis nostris passum & mortuum, esse unum illum mediatorem Dei & hominum; nos fide

in ipsum consequi remissionem peccatorum & vitam æternam &c. &, quæ non sunt puræ & meræ fidei, Deum esse unum, esse æternum, omniscium, optimum, sanctissimum, justissimum, &c. & tamen hæc omnia cognitu ac creditu ad salutem necessaria esse, Remonstrantes haud possunt diffiteri. Nempe si rem rectè putemus, summa tantum fidei Christianæ capita in Symbolo Apostolico sũt enumerata, vel indicata potiùs, memoriæ causa: ad quæ alia eò pertinentia, tanquam ex publica & ubique locorum sonante verbi prædicatione fidelibus nota ac familiaria, à quovis eorum revocari addique facilè poterant, & omnino debebant. (Tertullianus quidem sub initium libri de virginibus velandis, regulam fidei exhibens, integros omisit articulos, quos juxta cum aliis recitat lib. de Præscriptionibus cap. XIII.) Ex quo verò temporis progressu articuli quidam fundamentales, implicitè in Symbolo comprehensi, ab hæreticis in dubium vocari atque impugnari cœperunt; tum demum illi propter hæreticos subinde distinctiùs & explicitiùs in aliis symbolis Oecumenicis enumerari cœperunt, quoad quidem hæresium tum temporis exortarum ratio postulabat. Quos enim nullæ impugnabant hæreses, eos non credebatur opus esse in Symbolis exprimere. Hinc Ruffinus in Exposit. Symboli: *Sciendum quòd duo isti sermones* (de Deo invisibili & impassibili) *in Ecclesiæ Romanæ Symbolo non habentur. Constat autẽ, apud nos additos hæreseos causa Sabellii illio profectò, quæ à nobis Patripassiana appellatur, id est, quæ Patrem ipsum vel ex virgine natum dicit, & visibilem factum, vel passum affirmat in carne. Ut ergo excluderetur talis impietas de Patre, videntur hæc addidisse majores, & invisibilem Patrem, atque impassibilem dixisse.* Sic quoque Epipha-

phanius, hæresi LXXIV. causam redditurus, cur divinitas Spiritus S. non disertè fuerit expressa in Symbolo Niceno, *Nulla tum*, inquit, *de Spiritu Sancto instituta fuerat quæstio. Quippe de his, quæ singulis temporibus occurrunt, cavere Synodi ac decernere solent. Quare cum Arius in Filium maledicta conjiceret, propterea uberiori quadam disputatione argumentum illud est accuratissimè tractatum.* Confer Basil. M. Epist. LXXVIII. Hieron. Epist. LXV. Et si, quæ Apologiæ pag. 128. a. cum Erasmo consentientis, sententia est, Symbolum Apostolicum in principio non complexum fuit omnia ista, quæ postea procedentibus temporibus complexum est, & adhuc complectitur; sed paulatim variorum articulorum, adversus exorientes hæreses, adjectione est auctum: quid mirum, deinceps quoque alios articulos necessarios, qui Apostolico ῥητῶς non continentur, in subsequentibus symbolis esse definitos, invalescentibus novis hæresibus, tum temporis, ubi Symbolum Apostolicum augeri desiit, nondum auditis vel cognitis: quales exsurgere potuisse nemo negabit, nisi qui, quàm varia & multiplex sit falsitas, ignoraverit.

III. Apologiæ locum, cujus modò fecimus mentionem, hîc integrum juvat adscribere, ad sententiam ejus eò rectiùs & plenius cognoscendam. *In confesso est*, inquit Apologia, *ut rectè annotavit Erasmus, variis in locis, Symbolum hoc in principio non complexum fuisse omnia ista, quæ postea, procedentibus temporibus, complexum est, & jam adhuc complectitur. Paulatim enim variorum articulorum adversus exorientes hæreses adjectione auctum id esse, docet solidissime Erasmus contra censuram Facultatis Theologicæ Parisiensis, Tit. II. Nempe clausula Symboli hujus in principio erat, Credo in Spiritum Sanctum, uti*

*ex Tertulliano adversus Praxean, & ex Canonibus Synodi Nicenæ non obscurè colligitur. Quoniam verò ob sectas dubitari poterat, ubinam esset Ecclesia? additus est articulus, Credo sanctam Ecclesiam. Præpositio, in, veteribus ignota fuit. Propter Novatum deinde additus videtur sequens articulus, Credo remissionem peccatorum. Postquam exorirentur, qui animarum resurrectionem quidem profitebantur, sed corporum negabant,* (an igitur credendum est non tantùm animas, sed & corpora resurrectura, h. e. resurrecturas quoque animas; quemadmodum credendum est, non tantùm cum corporibus nos resurrecturos, sed & cum his corporibus, in quibus nunc degit anima? Quod equidem non dico, quasi Remonstrantes in suspicionem vocare velim approbati istius dogmatis, quam novi eos deprecari enixè in Apol. pag. 219. a; sed tantùm ut moneam, ne quis offendatur locutione tam inconsiderata.) *adjectus est articulus: Credo carnis resurrectionem. Rursum, quum Origenistæ faterentur, nos resurrecturos cum corporibus, at non his, in quibus nunc degit anima; in Symbolo, quod exponit Cyprianus, Aquilegiensi additum est: Hujus carnis resurrectionem. Ex hoc jam etiam colligere est, quid ponderis habeat, quod subjungit Censor: Nec eodem consensu universus Christianismus alia scripta humana sibi tradita amplexus est, aut etiamnum amplectitur. Cui adde, quod de ipso isto consensu dubitandi causa sit. Certum enim est, Symbolum hoc variè apud veteres referri, adeo ut toti etiam articuli supersint, aut desint. Cyprianus ipse fatetur, Symbolum hoc in diversis Ecclesiis diversum habitum fuisse suo tempore, adjectis quibusdam, quæ Romana non haberet Ecclesia. De articulo, Descēdit ad inferos, res plana est: nec in Romano nec in Orientali Ecclesiarum Symbolo habebatur. Articulum de Sanctorum communione*

*nione præterit Cyprianus, verisimiliter, ut æquipollentem præcedenti, Credo Sanctam Ecclesiam. Nec Tertullianus, nec Augustinus, nec Cyprianus habent ultimum articulum, Et vitam æternam. Et ad Sanctam Ecclesiam non addiderunt vocem, Catholicam: licet Augustinus, velut interpretans, eam adjiciat. Hæc omnia, etsi talia sint, ut de Symbolo hoc Apostolorum, quod vocatur, prout nunc à nobis legitur, dubitari non injuria possit, imo credi pene debeat id ab Apostolis ipsis, aut Apostolica autoritate scriptum non fuisse*: (qualis dubitatio, obsecro, si priora sint certa?) *tamen Remonstrantes, ut quanto in pretio illud habeant, declararent, totum illud tanquam formulam, in quam universus consentit Christianismus, & merito quidem, declarationi suæ inseruerunt.* Hæc Apologia.

IV. Denique minimè prætereundum hîc est illustre exemplum Pauli Apostoli, quod hactenus dictis lumen, & autoritatem, & firmamentum maximum addit. Erant ætate Apostolorum è Judæis nonnulli, qui, etsi Christum agnoscerent, justificationem tamen hominis & salutem æternam suspendebant ab observatione legis Mosaicæ. *Docebant* enim *fratres, & dicebant: Nisi circumcidamini ritu Mosis, non potestis salvari*, Act. XV, 1. Contra quos, eodem capite, primum concilium Hierosólymis legimus coactum. Tales verò cùm & Galatas *turbarent, & vellent invertere Evangelium Christi*, Gal. I, 7. Confer cap. V, 2. 3. 4; non satis habuit Paulus integrâ Epistolâ eos confutare: sed toto animo commotus, adeo dolore exarsit & indignatione, ut in horrendum illud anathema erumperet vers. 8: *Sed etiamsi nos, aut Angelus è cœlo evangelizet vobis præter id, quod vobis evangelizavimus, anathema esto:* quod mox ingeminat v. seq. 9: *Ut ante diximus, etiam nunc iterum dico: Si quis*

*vobis evangelizaverit præter* id *quod accepistis, anathema esto.* Quin etiam deinceps cap. V, 12. *abscindi* optat, qui Galatas inquietârant. Et tamen dogma illud de justificatione hominis ex fide, non ex operibus legis Mosaicæ, nequicquam attingitur in Symbolo Apostolico. Annon, quæso, hoc unum sufficere posset, ad dirimendam protinus præsentem de Symbolo Apostolico controversiam?

V. Sed nec duodecim illos Symboli Apostolici articulos omnes in necessariis habet Episcopius, in de Antvvoort op de Prœve pag. 8. *Resp.* (3.) *ad sæpe dictam Heydani Object. contra Remonstrantium descriptionem Religionis Christianæ, quòd ea nimis lata sit*; verùm resectis iis, qui sequuntur articulum de Scriptu Sancto, præcedentes integram & perfectam fidei regulam constituere existimat. In-dien, ait, dese Proeve gelden mach op dese antwoort der Remonstranten, hoe veel te meer sal die selve gelden moeten tegen de Heydelbergsche Catechismus selve, die al een vry ruymer en wijder mantel maeckt, die alle Ketters haer selven mogen om-hangen, hoe verre dat die oock in 't fondament van de Waerheyt afgeweken zijn. Want op de XXII. vrage: Wat is dan een Christen noodig te gelooven? Antwoort de Catechismus: Al wat ons in den Evangelio belooft wort, 't welck ons de Artijckelen onses al-gemeenen en ongetwijffelden Christelijcken Geloofs in eener somma leeren. Heft er oyt Ketter geweest, of sald' er wel hier na yemant konnen komen, die de Name

van

van een Christen dragen wil, die niet en gelooft al wat ons in den Evangelio belooft wort? En als hy dat gelooft, seyt de Catechismus, dan gelooft hy al wat een Christen noodig is te gelooven. Hoe kand' er ruymer mantel of faellie gemaeckt worden, volgens uw' seggen, voor alle Ketteren? Ick late nu staen, datter geen onachtsamer, ofte onbedachte Antwoort en soude konnen gevonden Worden op soo een treffelijcke en ernstige Vrage. Want nae die antwoort des Heydelbergischen Catechismi, soo gelooft men al het gene, dat een Christen noodig is te gelooven, als men alleen gelooft de Vergevinge der Sonden, de opstandinge des Vleeschs, en een eeuwig Leven: want wat wort' er anders belooft in die twaelf Articulen? En als men dan noch soude seggen, dat eer-tijts dese laetste drie Articulen, jae alle de vijf, die terstont volgen achter het Artijckel, Ick geloofe in den H. Geest, in dit Symbolum niet en zijn geweest, maer nae der hant daer by gedaen, soo soude-men mogen seggen, dat men oock niet met allen geloovende, echter al gelooven soude, dat een Christen noodig is te geloven. Ubi patet ultima ista, En als men dan noch soude seggen &c. præter rem addi, nisi supponatur non-necessaria esse dogmata, quæ ab Articulo de Spiritu S. sequuntur. Quanquam id primis Remon-

monstrantium principiis adversa fronte repugnat. Cum enim illi in Confessione sua, ut supra sect. II. hujus cap. §. 1. vidimus, necessarias Christianæ Religionis partes obedientiâ præceptorum, fideque promissorum Jesu Christi circumscribant; promissa autem, dicente Episcopio, tribus posterioribus Symboli Apostolici Articulis plenè contineantur: quomodo non tres isti articuli pro necessariis reputari debebunt, quippe quorum fide Christianæ Religionis pars altera præcisè necessaria definitur. Adde quòd in Catechismo ea, quæ in Religione Christiana cognitu & creditu necessaria sunt, enumeraturi, duodecim Symboli Apostolici articulos ordine recensent. Quæstione IX. quæritur: Welck is her sommier van 't ghene men van Godt, ende sijnen Sone Jesu Christo, mitsgaders van de sacken der Christelijcke Religie, weten ende gheloven moet? Et respondetur: Het Sommier daer van is begrepen in de 12. Artijkelen des geloofs, luydende aldus: Ick geloove &c. Sic quoque Episcopius Vol. I. Oper. part. II. pag. 155. a: *Quod ad fidei articulos attinet, hos plenè ac clarè in Symbolo, quod Apostolorum dicitur, summatim contineri putamus. (modo excipiatur articulus de Descensu ad Inferos —) Hos articulos nudè & clarè ubique in Scripturis reperiri dicimus; suntque soli ad salutem necessarii, & præter quos nulli alii sunt. Qui hos non credit, is salvus fieri nequit; & cum illa Ecclesia, quæ eos vel non admittit, vel negat, communionem ullam inire non licet.*

VI. Universi quoque Remonstrantes articulum de Resurrectione mortuorum negant esse necessarium, in Re-

Respons. ad Spec. Calumn. pag. 302. b. dum oppositum Corinthiorum errorem nihil veræ ipsorum fidei offeciſſe, affirmare non erubescunt. *Quàm graves*, inquiunt, *errores cum amore Dei & Christi, cum vera fide & obedientia possint consistere, exempla varia docent. Apostoli errabant circa principalem veritatem de statu regni Jesu Christi, & tamen eos Christum amasse, veraque fide & obedientia non caruisse, Christus ipse passim testatur. Corinthii errabant circa ipsam veritatem resurrectionis mortuorum, & tamen Fratres fideles à Paulo vocantur, & Deum Christumque etiam in mediis afflictionibus amabant.* In quam sententiam etiam Apologia in Præfat. pag. 107. b. *Error*, ait, *veniam & commiserationem meretur; impietas odium & pœnam. Errantes nuspiam cœlo proscribit Deus, impios ubique. A mundo, & ab iis, qui se inordinatè gerunt, à dissidiorum & scandalorum autoribus, à profanis, peccatoribus, impiis declinare, fugere nos jubet: Pios, Dei timentes, amare, complecti; cum lenitate erudire eos, qui contrario animo sunt affecti, errantium misereri. Exemplum dedit divinus ille Apostolus, acerrimus alioquin veritatis divinæ & libertatis Christianæ assertor. Quando cum Corinthiis agit, qui futuram corporum resurrectionem negabant, Christiani tamen animis ac studiis videri volebant, ipsa lenitas est. Non indignatur, non exacerbatur, non jacit excommunicationis fulmen contra eos. Fert, tolerat, patitur, fratres eos nihilominus vocat. Et redarguit eos, inquies. Ita est: sed argumentis, sed demonstrationibus, absurdis, aliisque; ut instruat, ut doceat, ut erudiat. Longè aliter profectò, quam cum de malis, improbis, impuris & injustis agit. Toto zeli spiritu in eos invehitur, ardet, indignatur, tonat, fulminat contra eos, qui communionem eorum, ut pestem & lepram, non fugiunt* ——

VII. Non autem video, quomodo ab appellatione *Fratrum fidelium*, pro ista sententia duci queat argumentum. Non enim sequitur: S. Paulus Corinthios vocat fratres fideles, inter quos tamen ipse conqueritur esse, qui resurrectionem mortuorum negent, I. Cor. XV, 12. πῶς λέγουσί τινες ἐν ὑμῖν, ὅτι ἀνάστασις νεκρῶν οὐκ ἔστιν; Ergo judicat, negationem resurrectionis mortuorum cum amore Dei & Christi, verâq; fide cõsistere posse. Aliàs quoq; sequeretur, quia S. Paulo eos vocat Ecclesiam Dei, sanctificatos in Christo Jesu, fratres suos, inter quos ipse conqueritur esse lites & factiones, vid. I. ad Cor. I, 2. 11: Ergo judicat, lites & factiones cum amore Dei & Christi, verâq; fide consistere posse. Et quî posset S. Apostolus judicare, negationem resurrectionis mortuorum cum amore Dei & Christi, veraq; fide cõsistere posse, cum de Hymenæo & Phileto, quos priori Ep. ad Tim. I, 19. 20. dixerat naufragium fidei fecisse, scribat II. Tim. II, 18. quasi speciem designaturus, quòd *circa veritatem aberrarint a scopo, dicentes resurrectionem jam esse factam, & subvertant quorundam fidem?*

VIII. Sed & mirari subit, Remonstrantes in istam sententiam deveniisse, cum, prætérquam quòd ea pugnet cum iisdem propriorũ Scriptorum locis, quæ sect. præced. Episcopio oppositimus, insuper etiam Apologia pag. 245. b. Sadducæos *hæreticissimos* appellet, procul dubio hanc quoque ob causam, quòd Resurrectionem mortuorum iverint inficias. Nam pag. præced. 244. b. cùm *hæreticos pertinacissimos, & directè fundamentum fidei evertentes* nominare vellet, exempli loco adducit Sadducæos, *qui Angelos, Spiritum & resurrectionem mortuorum apertè negabant.* Quanquam quid miror hoc in iis, quibus familiare est varios adeo

deo vultus, disparilesque sensus gerere? Quod uti tota hæc tractatio affatim comprobat, ita sequenti Sectione novis confirmabitur exemplis, quæ, veluti appendicis loco, sententiæ Remonstrantium de dogmatibus necessariis subjungere visum est, quòd non animadversa Lectorem haud parùm turbent ac remorentur.

## SECTIO VI.

### *Novæ quædam Remonstrantium Contradictiones circa hanc materiam, de dogmatibus necessariis, deteguntur.*

I.

(1.) QUi necessaria dogmata negat, non est hæreticus, sed hæretico multò deterior; imo profanus, & manifestarius Religionis Christianæ comtemptor. Apol. pag. 249. a: *Qui ἀκίνητα κινῶσι,* (h. e. qui dogmata necessaria negant, aut in dubium vocant,) *ij hæretici non sunt; sed divinæ veritatis manifestarii contemtores. Quæ enim ἀκίνητα sunt, ea tam clarè ac dilucidè definita sunt à Deo, ut à nemine sine divinæ veritatis contemtu negari possint, aut in dubium vocari. Nisi hoc ut certum statuatur, nihil non erit ἀκίνητον.* (Quæ verba repetuntur in Vedel. Rhapsi. pag. 381. a.) Et col. b. cit. pag. *De hæreticis*, inquit Apologia, *quæritur, non qui ea, quæ in Scripturis apertè decisa sunt,* (h. e. necessaria) *convellere audent: sed qui ea, quæ controversa sunt, aut controverti possunt, in dubium vocant. Nemo unquam hæreticus fuit, qui in dubium vocavit, an fures, ebriosi, raptores, convitiatores, avari, idololatræ, &c. vitæ æternæ hæreditatem sint consecuturi? an Deus diligendus sit supra omnia? an proximo sit faciendum, quod ipsi nobis*

*nobis fieri cupimus, & similia. Hæc enim tam manifesta sunt in Scripturis, ut negari non possint ab eo, qui Christianus esse vult, aut cui sanum sinciput est. Qui ea negare audet, aut in controversiam vocare; is eo ipso hæreticus non est, sed hæretico multo deterior: imo profanus, & Religionis Christianæ contemtor.* Vide, quæ supra ad h.l. diximus sect. III. §. ult.

Contra: Per hæreticum is, qui errat in veritate fundamẽtali seu necessariâ, & per hæresin error fundamẽtalis passim in Scriptis Remõstrantium designatur. Vedel. Rhapsod. p. 350. b: *Ad hæresin itaq; sufficit voluntas dissentiẽdi à veritate necessaria, quam quis scire potest & scire debet esse opus carnis, quod Apostolo ait nos facere reos damnationis. De hac constare nobis potest, inprimis post omnia adhibita remedia, quæ Christiana prudentia & caritas suadent. At de causa voluntatis istius certò constare nulli potest; an videl. sit malitia animi, an alius aliquis carnalis affectus.* Pag. seq. 351. a: *De iis verò, qui errant circa fundamentalem veritatem, nos (Pontificios excipio) statuere non possumo nec debemus, quod studio errare velint, & ex malitia in errore persistant, si videlicet probi sint, & vitam sine labe, sine macula degant. Et hæc est illa innocentia, & hoc involuntarium istud, quod Remonstrantes hæreticis tribuunt.* Pag. 366. a: *Hæresis non arripitur dedita opera ab ullo homine, qui scit & persuasus est, id quod arripit, esse hæresin, id est, errorem fundamentalem, per quem certo certius excludendus est à regno cœlorum.* Et postea: *Ex istis verbis liquet, Remonstrantes concedere, fieri posse ut hæresis aliqua sit voluntaria, non quia is, in quo hæresis est, hæresin illam dedita opera arripere vult, quanquam scit eam hæresin sive errorem fundamentalem esse, sed* &c. Hæreticus, qui in necessariis errat, vult esse Christianus, & hæresin suam cum verbo Dei convenire putat, alioquin protinus eam deserturus.

turus. Apol. pag. 243. b: *Aliud est Apostata, aliud hæreticus. Hæreticus Christianismum non ejerat, sed hæresin deserere non vult, ut Christianus maneat, & conscientiam suam, licet erroneam, Christo integram atque illæsam servet. Quare pessimè Censores in Synopsi sua inter hæreticos censuerunt antichristos & apostatas*— Col. a. ejusd. pag: *Hæreticus blasphemus propriè non est, quia hæresin suam ex ipso Dei verbo probare nititur, probationemque tanti facit, solius Dei & verbi divini reverentia motus, ut mori, mortesq; adeo mille subire malit, quàm eam deserere.* Vedel. Rhapſ. pag. 364. a: *Hæretici ipsi sibi anathema dicent, si quid præter id, quod evangelizatum est ab Apostolis, doceant aut defendant.* Et verò tribus hisce locis per hæreticos intelligi eos, qui in veritate necessaria errant, contextus ubique satis testatum facit.

II. (2.) Hæresis, quam Apostolus Gal. V, 20. opus carnis vocat, est error fundamentalis. Vedel. Rhapſ. pag. 350. b: *Hæresis, quam opus carnis vocat Apostolus Gal. V, 20. quod nos excludit ex regno cœlorum, & quod Apostolus apertè distinguit à διχοστασία, generaliore significato accipitur, & significat ejusmodi dissensionem à veritate, cum qua fides in Christum & vera pietas non possunt consistere, & in qua quis, non obstantibus omnibus rationibus in contrarium, perstare vult & permanere: sive id accidat, quia rationes, per quas à sententia sua dimoveri posset, non, prout oportet, examinat; sive quia nimio propriæ suæ sententiæ amore ductus, eas perspicere non valet; sive quia aliis quibusdam affectibus abreptus, errorem istum suo ingenio convenientiorem esse credit; sive quia aliis de causis in errore perstare mavult, quàm ab eo recedere. Ad hæresin itaque sufficit voluntas dissentiendi à veritate necessaria, quam quis scire potest, & scire debet esse opus carnis, quod Apostolus ait nos facere reos damnationis.*

*onis.* Pag. seq. 351. a: *Atque hinc patet causa, cur Remonstrantes inter peccata & hæreses distinguant; quòd de eo qui peccat, e. g. qui furatur, qui homicidium patrat, qui adulterium committit, qui falsum testimonium dicit, jure statuere ac pronunciare possumus, quod voluntate sua peccet, i. e. quod faciat ea, quæ ex manifesta lege divina scit peccata esse. De iis vero, qui errant circa fundamentalem veritatem, nos (Pontificios excipio) statuere non possumus nec debemus, quod studio errare velint, & ex malitia in errore perstant, si videlicet probi sint, & vitam sine labe, sine macula degant: Et hæc est innocentia, & hoc involuntarium istud, quod Remonstrantes hæreticis tribuunt. Hæresin interim opus carnis esse, & peccatum, quod eum, qui hæreticus est, reum facit damnationis, fatentur: & qui possunt aliter, cum Apostolus eam non modò carnis opus, sed manifestum carnis opus esse, disertè asserat? Sed peccatum istud Deo soli notum esse credunt, quippe qui solus animum & cor hominis novit.* Ubi rursus obiter notanda venit aperta contradictio: Hæresin à peccatis distingui, & tamen hæresin peccatum & manifestum opus carnis esse. Enim verò si quid differt hæresis à reliquis peccatis, non ideo simpliciter & in genere peccatis contradistingui debebat; sed potius discrimen aliquod constituendum erat inter peccata, & quomodo ea peccata, quæ hæreses dicuntur, differant ab aliis peccatis, quæ non sunt hæreses, explicandum.

Contra: Hæresis, sumptâ voce pro errore fundamentali, non est ista, quæ à Paulo opus carnis vocatur. Apologia pag. 248. sub init. expositura, uti in margine scriptum est, distinctionem inter hæresin vulgo sic dictam, & hæresin quæ carnis opus ab Apostolo vocatur, *Interim* ait, *non volunt Remonstrantes, hæresin istam, de qua hic inter nos agitur, esse*

*esse istam hæresim, quam Paulus carnis opus vocat.* (Agitur autem hîc inter ipsos de hæresi vulgo sic dicta, ceu in margine vocatur, quæ est error fundamentalis; uti & ex subjecta materia, quæ est de hæreticidio, planum est, quippe in qua vox ista aliter sumi nequit; & præterea Apologia pag. 244. a. disertè docet. Loquor, *inquit*, de hæreticis, quos censores sic vocant, qui circa fundamentalem articulum Religionis Christianæ errant) *Nihil minus. Hæresis, quæ carnis opus est, manifestum opus carnis est: At hæc, de qua quæritur, non est manifestum opus carnis. Sapissime enim innocentissimi & optimi homines, carnis & mundi osores ac contemtores, hæretici esse deprehenduntur, id est, errori alicui* (nempe fundamentali) *pertinaciter inhærentes.* Atque hi mox *errore solo mentis* laborare dicuntur, quemadmodum & supra ead. col. a. hæresin plane involuntariam esse affirmatur, quia ex errore mentis est. Vide quæ ibi sequuntur. Vedel. Rhapsod. pag. 428. a: *Hæresin non esse peccatum, dixerunt Remonstrantes, non quando hæresis pro manifesto opere carnis sumitur, ut in Epist. ad Gal. 5. 20. Quis enim id peccatum esse neget, quod Apostolus inter manifesta opera carnis recenset, quæ nos excludunt ex regno cœlorum? Sed quando hæresis ex sententia Leydensium Theologorum vocatur error fundamentalis, ad quem concurrit voluntatis actus malitiosus, pervicaciam & obstinationem animi adjunctam habens, & is qui hæreticus vocatur, serio atque ex animi sui sententia pertinaciam, malitiam & obstinationem negat, paratus mori potiùs & quavis mala morte perire, quam à sententia discedere, ne conscientiæ suæ vim faciat. Hujusmodi hæresin, quæ sic vocatur ab iis, qui in definitionibus suis de hæresi errare possunt, & errare se posse profitentur, ac proinde quorum judicium ut irrefragabile non tenetur admittere is, cui hæresis impingitur,*

*gitur, imo quorum iudicium erroneum atque hæreticum esse persuasissimum sibi habet; huiusmodi, inquam, hæresin negant peccatum esse, id est, peccatum vocari, seu pro peccato imputari posse ejusmodi hominibus. Omne enim peccatum est voluntarium. At nemo probus præsumi debet dedita opera velle errare errorem fundamentalem, & quidem cum pertinacia, malitia atque animi obstinatione, imprimis ab iis, qui ipsi se errare posse credunt ac profitentur: Velle enim credendus esset dedita opera ab æterna salutis via abire, sine pœnitentia aut pœnitendi animo, quod ab omni verisimilitudine alienissimum est.* Quibus verbis tale continetur argumentum: O. peccatum est voluntarium, scil. directè, seu dedita opera admissum. Ita enim hanc enunciationem explicant sequentia: *At nemo probus præsumi debet dedita opera velle errare errorem fundamentalem:* quamvis eam falsissimam esse, omnes Theologi & Philosophi uno ore doceant, inculcentque, quod etiam tum quis se obstringat peccato, quando id, quod moraliter malum est, indirectè tantum vult sive intendit. Hæresis sumta pro errore fundamentali non est voluntaria, scil. directè, seu dedita opera admissa. (quod verba modo citata volunt, conf. §. nostram 4.) Ergo Hæresis sumta pro errore fundamentali, non est peccatum, adeoque nec opus carnis.

III. (3.) Sine malitia non est hæresis. Spec. Calumn. pag. 295. a: *Plenissimè autem persuasi cur non sint* Remonstrantes, de dicendo Socinianis anathemate, *hæ rationes in causa sunt.* (1.) *Quod certum sit, ius, qui sic errant, in Scripturis nusquam nec diserte atque in terminis, neque per manifestam consequentiam anathema dici. Quod autem in Scripturis non est, etiamsi verissimum sit, necessarium tamen dogma non esse, ipsi Doctores in Synopsi sua adserunt.* (2.) *Quod causas errandi non leves*

*leves habere videantur, propter quas error eorum à pertinacia,* (nempe malitiosa,) *ac proinde ab hæreseos culpa, quæ sine pertinacia nulla est, à Doctoribus ipsis liber atque immunis censeri debet.* Apologia præfat. p. 108. a: *Hæresin non facit opinio, sed animus.* Curcellæus Quaternione dissertationum adversus Maresium. Imâ. §. 40. sub fin: *Omnis aberratio ab intelligentia Scripturæ, non est hæresis, sed tantum malitiosa, & quæ versatur circa res magni ad salutem momenti.* Poelenburgh Præfat. in Volum. II. Oper. Episcopii p. 9: *Jam priusquam de hæresibus ipsis, quas nobis per summam sive insciti am, sive malevolentiam impingunt, plura respondere aggrediar, dicam iterum ac profitebor liberè, judicio nostro neminem hæreseos crimine aut stigmate infamandum, qui fidei suæ, omnisque honestatis rationem ad solam sacrarum literarum normam ita componit, ut, si qua in re aberrasse ipse convinci judicio suo queat, semper rectiora & discere, & facere paratum se promittat, præbeatque. Neque enim ex recepto Theologorum usu sufficit ad hæresis appellationem constituendam, si quis errore, neq; etiam si gravi ac pernicioso errore teneatur:* (*quanquam hoc fieri non potest, ut, qui piè secundum Scripturam vivere cupit, in errorem inevitabiliter pernicio sum delabatur, nequaquam certè, ut in eo diu persistat, præsertim ab alio admonitus; quia ardor pietatis istius modi errorem sponte sua facillimè consumet*) *sed insuper requiritur ad nuncupationis atrocitatem, ut in isto errore pertinaciter perseveret, imo ut etiam pertinaciter perseverare convictus sit. Hæc verò non potest locum obtinere in eo, qui, meliora si fuerit edoctus atq; persuasus, emendare sententiam lubenti animo cupit.*

Contra: Sciri non potest, an quis ex malitia, an verò ex alia causa hæresin amplectatur. Vedel. Rhapsod. p. 350. b: *Ad hæresin itaque sufficit voluntas dissentiendi à veritate necessaria,*

*ria, quam quis scire potest, & scire debet esse opus carnis, quod Apostolus ait nos facere reos damnationis. De hac constare nobis potest, imprimis post omnia adhibita remedia, quæ Christiana prudentia & caritas suadent. At de causa voluntatis istius certo constare nulli potest; an videlicet sit malitia animi, an alius aliquis carnalis affectus. Deus solus eam perspicit, & ei certum de ea judicium soli relinquendum est.* Et pag. seq. 351. a: *De iis verò, qui errant circa fundamentalem veritatem, nos (Pontificios excipio) statuere non possumus, nec debemus, quod studio errare velint, & ex malitia in errore persistant, si videlicet probi sint, & vitam sine labe sine macula degant: Et hæc est illa innocentia, & hoc involuntarium istud, quod Remonstr. hæreticis tribuunt.* Nemo malitiosè, seu deditâ operâ defendit hæresin. Apol. p. 244. a: *Contumacia vel pertinacia de ratione formali hæreseos est. Pertinacia autem non significat voluntatis actū, quasi hæreticq, etiamsi de veritate fundamentali convictus sit, velit tamen ex professo opinationi suæ falsæ adhærere; aut quasi, cum sciat Ecclesiam in judicando de veritate fundamentali non errare, imò errare non posse, nihilominus tamen Ecclesiæ judicio acquiescere de industria nolit. Nihil minus. Hoc enim merum figmentum est:* (*loquor de hæreticis, quos Censores sic vocant, qui circa fundamentalem articulum Religionis Christianæ errant: non verò de iis, qui volunt inhærere levibus minutisque litibus & quæstionibus, quas inutiles & vanas esse sciunt, de quibus agitur Tit. 3. ubi tales* ἀυτοκατάκριτοι *vocantur*) *sed significat errorem mentis, in quo quis manere vult, sive quia rationes non audit, quæ contrarium efficaciter suadent, sive quia rationes per se satis efficaces pro merito non introspicit aut considerat, sive quia Ecclesiæ judicium pro infallibili non habet.* Nemo potest hæresin ex malitia seu studiò defendere. Resp. ad Spec. Calumn. p. 317. b: *Hæreticus, qua hæreticus, mortis reus*

*non*

*non est: errare, falli, decipi, humanum est. Nemo sibi ipsi usq; adeo male vult, ut insalutis æternæ negotio se ipsum studio velit fallere, nedum ut fallendo alios reum se velit facere gravioris condemnationis. Beatitudo æterna majus bonum est, quam ut à quoquam mortalium de industria possit negligi, nedum studio contemni, aut ex professo odio haberi.*

IV. (4.) Error fundamentalis nemini obtingit citra manifestam & latissimam suam culpam, potestq; adhibitâ mediocri tantùm diligentia & prudentia evitari. Confessio Cap. I. n. 13: *Necessaria ad salutem ea tantum esse intelligimus, sine quibus fieri nullo modo potest, ut quis vel præceptis Jesu Christi rectè, & prout oportet, obediat, vel divinis ejusdem promissis firmiter confidat: quæque proinde talia sunt, ut sine manifesta hominis culpa negari, ignorari, aut in dubium vocari nequeant.* Apol. p. 249. a: *Quæ ἀναγκαῖα sunt, ea tam clarè ac dilucidè definita sunt à Deo, ut à nemine sine divinæ veritatis contemtu negari possint, aut in dubium vocari.* Vedel. Rhapſ. p. 329. b. *Res omnes, scitu ac creditu ad salutem necessariæ, tam clarè ac perspicue sciri possunt, ut qui earum ignorantia laborant, non lata tantum, sed latissima culpa teneantur. Si enim non dico omnem possibilem diligentiam & prudentiam, sed mediocrem saltem adhiberent, Veritatem & voluntatem divinam, evidenter in verbo divino propositam, non minus certo scire possent atque intelligere, quam Solem vident in meridie lucere.* Et pag. 340. b: *Nolite dubitare, quin ea omnia, quæ ad salutem vestram necessaria sunt, pro suo erga vos Paterno amore, sic revelaverit Deus, ut sine manifesta vestra culpa ignorari aut in dubium vocari nunquam possint. Alioquin nec saluti vestræ, nec justitiæ suæ consuluisset.*

Contra: In errorem fundamentalem potest quis ex

imbecillitate ratiocinationis, ex imprudentia, & citra suam culpam incidere: talesque ob ejusmodi errores suppliciis afficere, & parcere peccatoribus, est Barrabam dimittere, & Christum in crucem agere. Vedel. Rhapſ. p. 366. b. *Verba tantum Apologiæ videantur, & res clara erit. Apologia dicit, diſciplinam circa neminem exercendam eſſe, ſive erret in recte concipienda aliqua veritate fundamentali, ſive peccata & ſcandala committat, niſi voluntariæ alicujus culpæ, qua factum fuit ut in errorem aut ſcandalum inciderit, vel poſtquam in ea incidit, in iis perſeveret, reus ſit atque eſſe convincatur. Errorem enim purum putum, vel defectum rei alicujus, quem non habere non fuit in poteſtate hominis, Cenſuræ Eccleſiaſticæ cauſam ſatis gravem eſſe non poſſe. Ex iſtis verbis liquet, Remonſtrantes concedere, fieri poſſe ut hæreſis aliqua ſit voluntaria, non quia is, in quo hæreſis eſt, hæreſin illam dedita opera arripere vult, quanquam ſcit eam hæreſin ſive errorem fundamentalem eſſe; ſed quia vel ratiocinationis imbecillitas,* (Si ex imbecillitate ratiocinationis oriretur hæreſis, potiꝰ involuntaria eſſet dicenda, cum Apol. p. 244. ſub init.) *vel negligentia, vel prava educatio, vel inordinatus aliquis præcedaneus affectus, quem non habere, aut quem exuere poterat ac debebat, in cauſa eſt, quo minus videat errorem iſtum, quem errat, & quem alioquin errorem fundamentalem eſſe prima ſtatim fronte obſervare poterat, errorem fundamentalem eſſe.* Apologia p. 245: *Deinde offenſio iſta, de qua Servator agit Matth. 18. 6. non pertinet ad errores aut hæreſes, in quas imprudenter aliquis incidit, & quas propagatas vult ex mero, licet cæco, errore* (confer locum ſupra §. 2. ex Apol. p. 248. allegatum, ubi hæretici errore ſolo mentis laborare dicuntur) *in bonum & ſalutem aliorum;* (*de hæreticis enim ejusmodi loquimur, qui erro-*

*erroneas opiniones tenent, licet alioquin pii ac probi, vitaque prorsus sint inculpatæ) sed contra ad peccata, quæ ex contemtu fidelium recens Christi sacris initiatorum, & sic parvulorum atq; infirmorum adhuc in fide, fiunt.* Ubi per hæreticos haud alios intelligi, quàm quos præcedens pagina Col. a. designavit his verbis: *loquor de hæreticis, quos Censores sic vocant, qui circa fundamentalem articulum religionis Christianæ errant*; integer contextus, & status quæstionis, quæ ibi disceptatur, luculentè docent. Et pag. 252. a: *Quare qui sanguinaria Consilia suggerunt contra hæreticos, eos pestes animarum, Regnorum ac Rerumpublicarum suarum habeant Reges & Principes. Nulla enim major innocentia, quàm imprudenter errantium. Nulli minus peccant, quàm qui conscientiis suis vim facere, & linguam venalem habere nolunt, aut sententiam de æterna salute sua, veluti navigium aliquod ex Reip. tempestate, moderari nesciunt. Simplicitatem & reverentiam Numinis id arguit, quam si comitetur par in dissentientes benevolentia, perfecta est innocentia, & qui adest error, commiseratione, non odio dignus est. Date gloriam divinæ veritati, Reges Principesque, ut suis armis contra errorem pugnet. —— —— Naturæ lex Cynosura vestra sit. Quod vobis fieri non vultis, aliis ne facite. Quam teter vobis aliorum error, tam teter aliis error vester videtur. Cogitate quam facilè sit errare ac labi; quam difficilis sit electio veræ viæ inter tot opinionum divergia; quam acria sint studia Sectarum pro iis, quas cum lacte imbiberunt, sententiis. Odia, quæ à teneris annis imprimuntur, nimis gravate exuuntur: & cum nemo credatur erroris expers, sua quæque Secta odia putat justissima. Conscientiam suam quisque Deo integram habere vult. Malitia opus non est ad perseverandum in errore: Præjudicium sufficit, & contra veræ sen-*

*tentiæ patronos firmiter impressa erroris suspicio. Tum suus cuiq; error satis nocet, ut odio novo errantem gravari non oporteat. Et si errantem inimici nostri bovem reducere Deus jubet: Si homicidium, facinus alioquin gravissimum, imprudenter admissum, Deus puniri vetat: Si percussoribus innoxiis asyla poni jussit: cur eos odio nostro dignos putabimus, qui imprudenter errant, & errorem suum, tanquam perditionis nostræ æternæ remedium, persuasum nobis volunt. Si profanos, avaros, ebriosos, invidos non pellimus, non fugamus à nobis: cur probos piosque, nulla sua culpa errantes proscribimus? Hoc est Barrabam dimittere, & Christum in crucem agere. Hanc labem Judæi sibi habeant. Christiani sumus, & Spiritum alium à nobis requirit Deus ac Servator noster. Quod si tamen officij vestri esse putetis, providere ne veritas detrimentum aliquod patiatur, hoc agite, ut subditi vestri rationibus, beneficiis, & caritatis officiis inter se certent, si forte alius alium ad se volentem pelliciat, & sic tandem sponte sua omnes in unum ovile coëant. Facessant à cœtibus convitia, scommata, dicteria, & quæ alendis odiis serviunt, conciones Philippicæ ac Tribunitiæ. Hoc si ullis, imperate iis saltem, qui fidem à solo Dei donantis arbitrio pendere volunt, qui neminem credere posse docent, nisi quem omnipotens Dei Spiritus ex alto adflat, qui à fidei donatione omnem receptionis nostræ operam excludunt. Cur enim illi sæviant in errantes, & nulla sua culpa fidei expertes?* —— Atque hic per hæreticos eos debere intelligi, qui re ipsâ, non opinione tantùm sunt hæretici, seu in verè necessariis errant, præter vocis absolutè positæ indolem ac naturam, hæ rationes evincunt. 1. Testantur id clarè antecedentia hujus loci, in quibus fundamentum ponitur sequentis discursus. Fundamentum illud est, hæreticorum erro-

errores non esse conjunctos cum pertinacia, quod pag. præced. 251. adductum, ibidem inter alia ita confirmatur: Nemo dedita opera errat, aut errare se sibi persuadet, cùm de æterna salute sua agitur: h. e. cum agitur de dogmatibus, à quibus æterna salus pendet, qualia non sunt præterquam vere-necessaria. Conf. quæ supra p. 148. descripsimus è Vedel. Rhapsod. p. 366. Igitur de errantibus in verè necessariis, hîc sermo est: qui & paulò ante ead. pag. Theologorum Leydensium verbis, animas dicebantur occidere. Indeque jam porrò deducitur, Hæreticos corporalibus pœnis non esse afficiendos. 2. Patet id etiam ex ipso verborum scopo, totaque subjecta materia. Totus iste discursus, ut inscriptio marginalis habet, continet seriam paræneſin ad Reges Principesque, contra hæreticidii autores: ubi adferuntur rationes ad probandum partim inconsultũ, partim illicitum esse hæreticidium. Numquid igitur deprecantur Remonstrantes supplicia capitalia tantùm à falso creditis hæreticis; eos verò, qui revera sunt hæretici, permittunt suppliciis? At quisque dicet, nullum se morti addicere, nisi qui revera sit hæreticus. Jam in universum in quæstione de hæreticidio, an licitum sit, nec ne? an unquam vox hæretici aliter sumitur, aut sumi debet, quam pro eo, qui revera, & non tantum aliorum opinione, hæresin aliquam amplectitur?

V. (5.) Fides dogmatum necessariorum requiritur ad pietatem. Resp. ad Spec. Calumn. pag. 306. b: *Fidem itaque rectam non requiritis, inquies, ad pietatem? Absit. Fidem requirimus, & necessariam esse dicimus, sed earum rerum, quæ sine manifesta hominis culpa ignorari, negari, aut in dubium vocari non possunt.* (ita describere solent dogmata necessaria.)

Cæ-

*Cætera omnia uti ignorari, ita non rectè credi possunt sine pietatis periculo aut dispendio.* Pœlenburgh præfat. in Vol. II. Oper. Epiſc. pag. 9: *Fieri non potest, ut, qui pie secundum Scripturam vivere cupit, in errorem inevitabiliter perniciosum delabatur; nequaquam certè, ut in eo diu persistat, præsertim ab alio admonitus: quia ardor pietatis istiusmodi errorem sponte sua facillime consumet.* Confer. loca §. I. & IV. hujus sect. membro earum primo allegata.

Contra: Hæretici qui in necessariis errant, possunt esse pii. In quam sententiam diserta sunt loca Apologiæ, ex ejusd. pag. 245. & 252. §. præced. memb. 2. adducta, quæ ibi videantur. Addimus his alium ex pag. 246. Apologiæ: *Magus erat plenus dolo, & ad quodvis scelus facilitatus, hostis justitiæ omnis, filius diaboli: quorum nihil convenit hæreticis istis, de quibus hic agitur, quos supponimus probos, pios & innoxios homines esse, sed in errore aut hæresi sua pertinaciter tantum persistentes, non quia volunt errare, aut quia non volunt ab errore suo liberari, sed quia se errare, in animum suum non possunt inducere, parati quamlibet potius mortem tolerare, quam à sententia sua contra conscientiam suam discedere.* Quo loco, alioque ex pag. 244. Apol. ubi de blasphemis agitur, adductis, cum Vedelius Arcan. Armin. part. I. lib. II. cap. 4. exprobrasset Remonstrantibus, quòd negent hæreticos impios esse, aut blasphemos propriè sic dictos; illi, in Refutatione sua ad accusationem hanc venientes, non negant se ita docuisse: (quod utique facturi fuissent, si à mente sua id videri voluissent alienum: quemadmodum modò eâdem pag. in simili casu de Vedelio, etsi iniquissimè, ut ostendit Vedelius part. IV. lib. II. cap. 4, erant conquesti) sed defensionem parant, contenti interim ad posterius respondisse. *Quæ sequuntur,*

*tur*, aj unt in Vedel. Rhapſ. pag. 351. a. *neſcio profecto, an minorem inſcitiam redoleant. Nam Remonſtrantes, inquit, negant hæreticos impios eſſe, aut blaſphemos propriè ſic dictos. Quid ergo? an hæreticus, qua talis, propriè dictus blaſphemus eſt?* —— Atque ita novis quinque exemplis vidimus, quàm diſſimiles ſibi ipſis in hâc materia ſint Remonſtrantes, quàmque, ubi ſemel recto deerratum eſt, in præceps perveniatur.

# CAPUT VI.

## De Fide dogmatum non-neceſſariorum, quæ in controverſiam vocantur, qualis ea ſit?

I.

QUa certitudine Remonſtrantes dogmata non neceſſaria, quæ in controverſiam vocantur, credi velint, docent in Apologia pag. 111. a. hiſce verbis: *Quare nec hæſitare, nec ἐπέχειν in Religione tota dici poteſt, qui ea, quæ Scriptura totidem verbis neceſſaria eſſe dicit, aut quæ neceſſaria eſſe per evidentem & Sole clariorem, omnibusque obviam conſequentiam conſtat, pari religione adſerit; ne quidem, ſi nihil præter ea, quæ Scriptura ῥητῶς neceſſaria eſſe docet, adſerere audet. Qui circa cætera omnia ita ſe gerit, aut de iis non niſi cum modeſta præfatione contra alios diſſentientes ſententiam ſuam pandit, is non hæſitat, non fluctuat, nec cum Pyrrhonio dubitat, in quam partem inclinare velit ſuum judicium, jam enim iſtud inclinavit: ſed ita judicat, ut judicium ſuum divino impar faciat. Inter dubitationem & divinam aſſertionem humana certitudo media eſt, quæ etſi formidinem contrarii excludat, infallibilitatem divinam tamen non includit. Rationibus nititur, ſed quæ à divinis oraculis*

*lis differunt. Hoc humanitatis nostræ ἤτημα esse voluit summus Deus: Nihil constanter firmiterque credendum est in rebus ejusmodi, de quibus controversia incidit inter doctos & pios, nisi cum hac lege, ut si quis fortè meliora ostendat, cedere semper paratus sis. Neque dubitat interim, qui sic credit, neque hæret, hæsitat ve: sed statuit atque adserit, quantum humanæ imbecillitati statuere concessum est. Et hoc Deo satis est. Qui ultra terminum istum progreditur, aut citra eum stat, fieri non potest quin hominem exuat, & brutum se vel Deum faciat, atque ita paulatim reddatur aut alienæ conscientiæ Dominus, aut Religionis omnis contemtor, aut pertinacia ipsa pertinacior.* Quod hic dixerunt, *certitudinem humanam*, (quâ dogmata non necessaria controversa credi volunt) *rationibus niti, quæ a divinis oraculis differunt*, id in Vedel. Rhapsod. pag. 337. a. ita interpretantur: *Fidem seu certitudinem humanam non eam vocant Remonstrantes, quæ rationibus nititur, oppositè ad fidem seu certitudinem, quæ verbo Dei nititur. Quis enim adeo ineptiat, qui vel primoribus labris sacra degustavit? Sed fidem vel certitudinem humanam vocant, quæ rationibus ex ipso verbo Dei judicio nostro petitis nititur, & quidem eam, quæ formidinem contrarii excludit, sed quibus tamen subesse falsum potest, etsi is, in quo ea certitudo est, ius falsum non subesse sibi persuasum habet. Hanc à certitudine divina distinctam volunt, cui subesse falsum non potest, quæque absolutam infallibilitatem includit* &c.

II. Patet hinc Remonstrantes statuere, non-necessariorum, interque doctos controversorum dogmatum, non dari fidem aut certitudinem divinam atque infallibilem, sed tantùm humanam, quæ etsi formidinem contrarii excludat, infallibilitatem tamen non includat. Cujus sententiæ falsitas haud difficulter inde perspicitur, quòd Nul-

Nullum dogma non-necessarium controversum in Scripturis clarè, sive ῥητῶς, sive per consequentiam definitum esse, præsupponat. Nam si de dogmate aliquo concedatur, quòd alterutro modo clarè in Scripturis definitum sit, quis negaverit, divinam atque infallibilem ejus certitudinem haberi posse? *Quæ in verbo Dei clarè decisa sunt, ea non opus habet Christianus ut semper discat. Sunt enim clara, aperta atque indubiæ veritatis*, ait Apol. pag. 276. b. Atqui hypothesin istam vix ipsi concesserint Remonstrantes; vel si tuendæ sententiæ concedendam putaverint, suis assertionibus, ut expeditior sit probatio, hîc eos convincemus. e.g. non-necessaria, secundum ipsos, sunt omnia ista notissima de Prædestinatione, & annexis capitibus dogmata, Contra-Remonstrantibus opposita: Objectum electionis ad vitam æternam esse omnes & solos fideles, in vera fide ad finem usque vitæ perseverantes, quà tales: Reprobationis verò objectum esse solos infideles, in voluntaria incredulitate sua ad finem usque perseverantes, quà tales: Christum pro omnibus & singulis peccatoribus sine discrimine mortuum esse, & reconciliationem impetrasse: Gratiam Conversionis non ita agere, quin homo eam aspernari possit: Verè fideles posse sua culpa à vera fide excidere, & in peccata atrocia incidere, in iisdemque perseverare ac mori, ac proinde æternum perire. Et tamen hæc omnia clarè in S. literis revelata esse, contra adversiarios suos disputant Remonstrantes. Ita enim de Electione & Reprobat. scribunt in Defensione sententiæ suæ circa artic. I. pag. 48: *Voluntas Dei peremptoria de salute & exitio hominum, in Evangelio patefacta, est totum & integrum Prædestinationis decretum: Perseverantes vel morientes in fide velle servare, super incredulis*

*vero & impœnitentibus iram velle relinquere, est voluntas Dei de salute & exitio hominum in Evangelio patefacta: Ergo. Ad hoc argumentum, ex claris & evidentibus, ac penè infinitis S. Scripturæ locis depromptum, responderi solet* &c. De Mortis Christi universalitate Defens. sent. suæ circa artic. II. pag. 300: *Qui ex dilectione illa, qua Pater mundum dilexit, datus est, quique se ipsum dedit pro Mundi vita, & pro totius Mundi peccatis propitiatio factus est, ille pro omnibus & singulis peccatoribus remissionem peccatorum morte sua impetravit. Atqui Christus ex dilectione illa, qua Pater mundum dilexit, datus est, imo se ipsum dedit pro mundi vita, ita ut propitiatio factus sit pro totius mundi peccatis. Ergo. Major is veritas ex terminis liquet, quia totus Mundus, contradistinctè ab his & illis, omnes in universum reliquos homines peccatores complectitur. Nec habent, quod huic argumento in speciem opponant Contra-Remonstrantes.* De resistibili Operatione gratiæ Defens. sent. suæ circa artic. III. & IV. pag. 59: *Argumentum nostrum primum ex infinitis penè Scripturæ locis depromimus, in quibus Deus dicitur non tantùm seriò voluisse, ut illi, quos vocabat, salvarentur & se converterent; sed ea etiam fecisse, quæ seriæ illius voluntatis aut affectus tenerrimi indicia sunt manifestissima, id est, congregare voluisse instar gallinæ, vocasse, optasse, orasse, manus suas nocte dieque extendisse ut eos converteret, & quod tamen ij, qui vocati fuerunt, credere noluerint.* De possibilitate deficiendi à vera fide defens. sent. suæ circa artic. V. pag. 218: *Nostram, h. e. affirmantem sententiam probaturi, argumenta in tres classes dispescemus. (I.) habebit testimonia quædam Scripturæ selecta, quæ tantum non expressis verbis, quod in quæstione est, probant. (II) Continebit exempla ex iisdem Scripturis petita, ex quibus evidenti necessitate, quod probare intendimus, inferre licet. (III.) rationes S. Scri-*

*pturæ*

*ptura consentaneas, easque efficacissimas, superioribus argumentis adjiciet.* Sic igitur supradictæ hypothesi ab ipsis quoque Remonstrantibus contradici, liquet.

# CAPUT VII.

## An qui de aliquo Scripturæ sensu habet judicium erroneum, idque vincibile & culpabile, durante eo, teneatur adsentiri vero Scripturæ sensui contra istud suum judicium; an verò judicio suo erroneo contra verum Scripturæ sensum?

I.

REmonstrantes negato priori, adfirmant posterius, uti seqq. eorum verba docent. *Quando & quamdiu aliquis sensum istum, qui verus est, judicat esse sensum falsum, tum & tamdiu obligatur ad adsentiendum sensui isti, quem judicat verum sensum esse, etsi falsus est. Nam adsensus sequitur judicium. Si aliter res se haberet, obligaretur contra conscientiam suam ad credendum sensum verum esse, quem credit & judicat falsum esse. Verum quidem est, eum obligari ad mutandum judicium & persuasionem falsam seu erroneam,* (nempe quando error est vincibilis & culpabilis, aliàs enim absolutè locum non habet ista obligatio) *sed obligari eum ad adsentiendum vero sensui, stante & durante judicio, quod sensus iste sit falsus sensus, absurdum est, quia quod ex fide non fit sive contra conscientiam, id peccatum est,* Vedel. Rhapsi. p. 361. a. Et eâd. pag. b. in fine: *Ex hoc patet,* inquiunt, *frivolas & putidas esse rationes omnes, quas accumulat Vedelius. Omnes enim eo tendunt,*

*dunt, quasi Remonstrantes velint, judicium cujusque privatum esse legem seu normam adsensus præstandi, sic ut quando quis isti judicio suo adsensum præstat, eo ipso judicandus & censendus sit à culpa omni immunis esse, & non peccare, utpote id faciens, ad quod obligatur. Quod longe alienum esse à mente & sententia Remonstrantium cap. 2. lib. 1. demonstravimus, & hinc liquet, quia etiamsi is, qui erroneum judicium aut conscientiam habet male informatam, obligetur ad sequendum conscientiam istam, peccaturus, si contra ageret, nihilominus tamen etiam sequens conscientiæ suæ dictamen peccat, non quia judicium & conscientiam suam sequitur, sed quia conscientiam culpa sua erroneam habet, quam habere & sequi non debet.*

II. Negant itaque, quempiam obligari ad adsentiendum vero Scripturæ sensui contra judicium suum erroneum, ex hac ratione, quod ita quis obligaretur ad peccatum, cum quicquid fit contra conscientiam, quantumvis erroneam, sit peccatum. Sed non vident, idem absurdum sequi ex sua sententia, qua statuunt quemvis obligatum esse ad adsentiendum judicio suo erroneo, eique vincibili & culpabili, contra verum Scripturæ sensum. Res est manifesta. Nam si, quod fatentur Remonstrantes, culpa sua erroneam habere conscientiam peccatum est, non potest non & actio ex principio isto, conscientia nempe erronea culpabili, profecta, peccato esse contaminata. Unde nec obligari quisquam potest ad sequendum conscientiam erroneam, seu ad hujusmodi actionem suscipiendam, quam conscientia culpabiliter erronea suscipiendam dictitat, quin simul

mul hoc ipso obligetur ad peccatum. Deinde agnoscunt Remonstrantes, laborantem judicio erroneo, (vincibili puta & culpabili) obligari ad mutandum suum istud judicium. Qui autem ad mutandum judicium obligatur, quomodo simul potest ad sequendum judicium obligari? Relinquitur itaque, si quis de aliquo sensu Scripturæ erroneum, idque vincibile & culpabile, habeat judicium, eum neque ad assentiendum vero sensui Scripturæ, neque ad sequendum judicium suum erroneum, sed ad amoliendum à se culpam, quâ conscientiam erroneam contraxit, adeoq; ad hanc ipsam conscientiam erroneam deponendum obligari. Spiritus ille Veritatis introducat nos porrò in omnem veritatem: cui cum Patre, & Filio, sit honor & gloria in æternum!

FINIS.

IN-

# INDEX CAPITUM.


CAPUT I. Unde certò nobis constet, doctrinam libris S. Scripturæ N. Testamenti comprehensam, divinam esse?

SECTIO I. *Communis Remonstrantium sententia è publicis eorundem Scriptis proponitur, & examinatur.*

II. *Privatum Episcopii in Instit. Theol. de sæpe dictis Remonstrantium rationibus, earumque momentis judicium expenditur.*

III. *Respondetur objectionibus, quibus sententia nostra de testimonio Spiritus Sancti impugnatur.*

CAPUT II. De Scripturæ Libris Canonicis.

SECTIO I. *Libros Canonicos Scripturæ à levissimis quibusque erroribus, & lapsibus memoriæ Scriptorum immunes esse debere ostenditur, contra Episcopium & Grotium.*

II. *Omnes libros Canonicos Scripturæ divinos esse, divinamque auctoritatem habere, probatur contra Grotium; & simul Rivetiana quorundam ejus verborum perversio ex occasione detegitur.*

III. *Adferuntur causæ contra Episcopium, cur de auctoritate librorum, quos Canoni Hebræorum superaddunt Pontificii, acriter cum ipsis disputandum sit: & Grotii conciliatura in ista controversia, simul ac alia ejusdem de additamentis ad Estherem & Danielem assertio expenditur.*


CA-


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522933/phys_0176
DFG

CAPUT III. De Sufficientia Scripturæ Sacræ crassus Remonstrantium in Præfat. Apologiæ, circa Pontificiorum sententiam, error indicatur.

CAPUT IV. De Interpretatione Scripturæ, & Controversiarum, quæ circa eandem occurrunt, dijudicatione.

SECTIO I. *Grotius papizans confutatur.*

II. *Remonstrantes, Rationem nimio plus efferentes, refelluntur.*

CAPUT V. De Dogmatibus cognitu ad salutem necessariis.

SECTIO I. *De facilitate dogmata necessaria à non-necessariis distinguendi, sententiam Remonstrantium factis eorum contrariam esse ostenditur.*

II. *Circa Descriptionem necessariorum dogmatum, à Remonstrantibus traditam, aliqua monentur.*

III. *Ad alia, distinctiùs cognoscenda Remonstrantium de necessariis dogmatibus sententia inservientia, fit progressus, eorumque primum ex Apologia proponitur: Necessaria omnia apud omnes, qui se Christianos dici postulant, in confesso esse; imo ne quidem posse ab iis vocari in controversiam.*

IV. *Expenditur alterum, de tolerandis iis, qui intra Scripturæ phrases & locutiones se velint continere: si-*

*mulque Curcellæus, negans necessarium esse, ut non-scriptis vocibus utamur ad detegendos hæreticos, qui sub Scripturæ verbis se occultant, refellitur. Sensus locorum Joann. XVII, 3. & XX, 31. illustratur, fidemque, hujus illiusve generalibus duntaxat verbis adhibitam, non sufficere ad salutem, ostenditur contra Episcopium.*

V. *Tertium, quod expressis verbis Symboli Apostolici plenè contineantur omnia necessaria, ad fidem pertinentia, discutitur. Tres ultimos Symboli istius articulos inon-necessarios habet Episcopius. Remonstrantes negant, Resurrectionem mortuorum esse creditu ad salutem necessariam.*

VI. *Novæ quædam Remonstrantium contradictiones circa hanc materiam, de dogmatibus necessariis, deteguntur.*

CAPUT VI. De Fide dogmatum non-necessariorum, quæ in Conrroversiam vocantur, qualis ea sit?

CAPUT VII. An, qui de aliquo Scripturæ sensu habet judicium erroneum, idque vincibile & culpabile, durante eo, teneatur assentiri vero Scripturæ sensui contra istud suum judicium; an verò judicio suo erroneo contra verum Scripturæ sensum?

FINIS.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522933/phys_0178
DFG

Ad

*Eximium Eruditissimumq;*

DN. JOHANNEM CLAUSEN,

eruditionis Academicæ specimina publica magno omnium applausu semel iterumque in patria Universitate edentem.

CLAUSENI, Juvenum decus o præ-
nobile, Cujus (mat;
ingenium & mores candidus omnis a-
Gaudeo, tam doctas dum te de ponte cathedræ
ausculto voces fundere, crede mihi.
Gaudeo, & absq; dolo fateor, quod, amice, virile
eloquium mirer judiciumque tuum.
Perge ita: sic in te, peperit quã fama Parẽti
gloria præclaro tanta, perennis erit.
Nomen ei æternum peperit Medicina; tibi sed
immortale feret Theologia decus.

*Sincero affectu scrib.*

CHRISTIANUS Kortholt/ S. Th. D. & Prof.

*Florentissimo Doctissimoq;*
*JUVENI,*
DN. JOHANNI CLAUSEN,
Magni Parentis Magnæ Spei Filio,
Contra Remonstrantium Triumviros Ter summâ cum laude Disputanti.

TRiumviratus cessit infeliciter
*Romanus* olim, nec magis prosper fuit
*Arminianus*. longa certè injuria!
Quam publicâ stat actione prosequi,
Acerrimi sub FRANCKII *signis Ducis*,
*Exercitato militi* CLAUSENIO.
Ter in Lycéi nunc *Theatro* sistitur,
Ter, ampliùsq; *plausus* est illi datus.
*Vexilla* jamq; prodeunt, manus manu
Collata, vir viro, phalangi stat phalanx
Conserta, & armis arma, pes hæret pede.
Proh!

Proh! copiarum quanta ſtrages editur?
Et *magnus* ipſe *Grotius* proſternitur,
Duo *adſeclæq́*, & *anteſignani* duo.
Sic *hæret* ergo victa triſtis *hæreſis*,
Sic *veritas* dulci triumphat gaudio.
*Amice ſuavis*, non meô *celeuſmate*,
Cùm ſponte curras, non eges calcaribus;
Tantùm ſecundô perge, quò vocat, gradu,
Nativa *Virtus*, ardua *Eruditio*.
Tibi alma cedet *palma*, certa *adorea*;
Quam gratulabor, ſi ſuperſtes vixero,
Lubens, licet minùs polito carmine,
*Tuo*, *Patriſq́*, *Patriæq́* nomine.

Gratulab. Adclamab.

PAULUS P. F. SPERLING,
S S. Theol. D. & Prof. Publ. Facult. Suæ h. t. Decanus, Præpoſitus Ducal. Holſat.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522933/phys_0181
DFG

Ad

*Eximium Præstantissimumq; Iuvenem*

# JOHANNEM CLAUSENIUM

quartùm in Academiâ Patriâ summâ cum laude Theologicè disputantem.

QValis futuris destinans se præliis
Miles lacertos librat, artus explicat,
Fictisque primas in palæstrâ laureas
Expugnat armis: Talis acer ingeni
Robur, CLASENI, prodis & vires tui:
Dum sacra Te palæstra jam quarto videt
Pugnare, forti strenuum Duce, prælio.
Quas ergo nobis (auguror) pugnas dabis?
Quæ Te tropæa, laureæ Ducem manent;
Cum tanta miles auferas præconia?
O Macte cœptis, ac Parentis optimi
Implere vota perge! Sufficit DEO
DUCIque Maximo, DUCISq; PRÆSIDI,
(Quo digna Musis Arbitro sunt præmia,
Decusq; constat) Sufficit Doctoribus
Virisq; doctis; sufficit sodalibus
Probasse causam, diligentiam, fidem.
Quod Te decus manebit! Illi maximo
Favore prosequentur atque præmiis:
Hi debitis Te prosequentur plausibus.

*gratulab. scrib.*

D. G. MORHOFIUS. D.
Eloq. & Histor. Prof.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522933/phys_0182
DFG

# Addenda & Emendanda.

Pag. 5. lin. 7. lege *Remonstrantium*. Pag. 9. lin. 1. post verba, *sint propositi*, adde, *vel per evidentem, & cuivis cognitu facilem consequentiam in Scriptura contineantur*. Pag. 13. lin 20. pro *sequenti sectione*, lege, *sectione tertiâ*. Pag. 28. lin. 13. lege. §. 4. §. 6. Pag. 46. lin. 10. lege *excellentiæ*. Pag. 56. lin. 7. lege *Apostolorum*. Pag. 73. lin. 5. à fine, pro *supra naturam*, lege, *supra rationem*. Pag. 75. lin. à fine 3. lege *rectæ rationi*. Pag. 79. lin. 18. lege *divinæ*. Pag. 80. lin. 9. pro *degenere* lege *genere*. Pag. 99. lin. 9. lege *fine*. Pag. 109. lin. 15. lege *allegata*. Pag. 119. in fine §. 11. adde: *Confer omnino Vedel. Rhapsod. pag. 381. ubi geminum locum ex ead. pag. 249. Apol. Col. a. adductum*, Qui ἀκίνητα κινῆσαι, ij hæretici non sunt &c. *ineam, quam ipsis tribuimus, sententiam apertè interpretantur*. Pag. 136. lin. 5. lege *genuinum*. Pag. 151. lin. 14. 15. pro *eâd. col. a.* lege *pag. 244. a.*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522933/phys_0183
DFG

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn786522933/phys_0186
DFG

n, invaleſcente Arianâ hæreſi, Con-
pponi videret, *Sed, nunc*, inquit, *nec e-
lebes Ariminenſe tanquam præjudicaturus
ego hujus autoritate, nec tu illius deti-
autoritatibus, non quorumcunque proprius,
nibus teſtibus, res cum re, cauſa cum cau-
concertet.* lib. III. contra Maximinum A-

## SECTIO II.

*, Rationem nimio plus efferen-
tes, refelluntur.*

I.

n Confeſſione ſuâ Cap. I. num. 16. ſen-
eſcripturi, appellandum cenſent *non-
ba propriè ſumpta præ ſe ferunt, (ut quidem
àm eum, qui, licet verba rigidè accepta eum
Rectæ Rationi, & ipſi menti atque intentio-
tulit, convenientiſſimus eſt, ſive ille propriè,
tus ſit.* Quibus verbis ad ſenſum litera-
dem cum recta ratione convenientia
Nam quomodo rectæ rationi conveni-
ſus, ad quos per naturalia ſua principia
gere valet recta ratio, ita, ut judicare
, quod iis continetur, an falſum? quales
us, quibus aliquid, quod ſupra naturã eſt,
vis enim revelati ſint, adhuc tamen ex
is principiis nequeunt vel cognoſci, vel
is eorum cognitio Revelationi divinæ
a debet referri. Et verò *rationem* ibi